# HONOR CONSUMMATAE REDEMPTIONIS SINGULARI DISSERTATIONE EX...

Ferdinando Mingarelli, Ramiro Bianchi

113

315. 11

# HONOR
## CONSUMMATAE REDEMPTIONIS
### *SINGULARI DISSERTATIONE*
### EX EVANGELICA, ET APOSTOLICA DOCTRINA

A FERDINANDO MINGARELLIO

*S. Th. L. Camald. emerito, & Sacr. Ind. Congreg. Conſult.*

## IESU CHRISTO RESTITUTUS

Ad verſus Renovatam Pelagianam Doctrinam Adeptionis Regni Coelorum Ante Chriſtum.

*ACCEDUNT*

PROPOSITIONES EADEM DE RE

QUARUM VERITATEM

*Facta ſingulis poſt Tertium contra dicendi facultate*

TUEBITUR

D. RAMIRUS BIANCHI


CREMONENSIS

FLORENTIAE IN S. MARIAE ANGELORUM

*DIE     IULII MDCCLXIX. HORA*

FLORENTIAE. MDCCLXIX.

*Ex Typographia Mouckiana. Cum facul. Praeſid.*



IOANNI · BENEDICTO
MITTARELLIO
VENETO
TOTIVS · ORDINIS · CAMALDVLENSIS
ABBATI · GENERALI
REI · DIPLOMATICAE · PERITISSIMO
ANNALIVM · CAMALDVLENSIVM
CONDITORI · CELEBERRIMO
RAMIRVS · BIANCHI
MONACHVS · CAMALDVLENSIS
PATRI · AMANTISSIMO
RECTAE · QVE · DOCTRINAE · AEMVLATORI
SE · SVAM · QVE · DISPVTATIONEM
CONTRA · PELAGIANAM · ADEPTIONEM
REGNI · COELORVM
ANTE · CHRISTVM
L · D · D

*Inter multa ſuis ; quae tradidit Haereſiarches ,*

*. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .*

*. . . . . . . . . . . . . . connectit & illud*

*Idem Auctor , quod Lex ita ſanctos miſerit olim*

*Coelorum in Regnum , ſicut nunc gratia mittit .*

*Hoc quoque iudicio ſancto ſcis eſſe peremptum .*

Proſper de Ingratis Cap. III, IX.

# P R A E F A T I O

## Qua etiam attinguntur Vindiciae Divi Aurelii Auguſtini a Pelagiana doctrina adeptionis Regni Coelorum ante Chriſtum.

I. *QUIS quaeſo unquam putaſſet, quempiam aliquid vel ſomniando balbutire potuiſſe, unde Magnum illud Catholicae Eccleſiae columen contra Pelagianos, earumque reliquias, Divus nimirum Aurelius Auguſtinus aliqua Pelagianiſmi lue infectus videretur? Atqui recenti memoria non defuit, qui non modo huiuſmodi quidpiam ſerio diceret, ac mordicus ſuſtineret; ſed hoc etiam inſinuare non vereretur, illud idem ab omnibus, qui vere Auguſtinum venerentur, & remoto partium ſtudio ſectentur, cenſeri oportere. Quorſum enim alio ſpectant, ſeu* Vindiciae Auguſtinianae (*atque utinam pulcherrima haec facies nigrum nullum efflaret halitum*) ab imputatione Regni Millenarii (Cremonae 1747.): *Sive* Dialoghi Tre in difeſa delle Vindicie Agoſtiniane (in Roveredo 1752): *Sive* Divi Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, quae videtur ſententia de Beatitate Sanctorum .... Antiqui Teſtamenti ante Chriſti deſcenſum ad Inferos (Venetiis 1763): *Sive* Lettera prima al P. M. Tommaſo M. Mamachi intorno alla ſua Opera „ *de Animabus* „ *Iuſtorum in ſinu Abrahae ante Chriſti mortem expertibus beatae Viſionis Dei* „ (in Venezia 1767.): *Sive denique* Lettera ſcritta al P. D. Iſidoro Bianchi, *quam* (1769 num. 8. (99)) *vulgarunt Ephemerides Litterariae Florentinae? Omnia profecto haec aliorſum non ſpectant, quam ut inſinuent virulentam opinionem hanc, Iuſtos Chriſto praemortuos, ſi poenae nihil a ſeipſis luendum habuerint, poſſeſſionem Regni Caelorum adeptos eſſe, puram putam Auguſtini doctrinam cenſeri oportere. At quantum abfuit ab hoc lapſu ſapientiſſimum illud Auguſtini ingenium! Pelagiana immo ac Cae-*

A le-

*leſtiana eſt doctrina huiuſmodi tantumque abfuit, ut eam lubens complecteretur Divus Auguſtinus, cum eamdem ab aliis prolatam noris; ut etiam veluti haereticam protinus reſpueris, & confutaveris. Rei demonſtrationem aggredior, ſtatim atque tranſcripſero* Caput mihi V. de Geſtis Pelagii. *En ergo illud.*

II. „ *Recitatum eſt aliud, quod in ſuo libello ſcripſit:* Re„gnum Coelorum etiam in Veteri Teſtamento promiſſum. *Ad „quod Pelagius:* Hoc & per Scripturas probari poſſibile eſt; „Haeretici autem in iniuriam Veteris Teſtamenti hoc negant. „Ego vero Scripturarum auctoritatem ſequutus dixi, quoniam „in Propheta Daniele ſcriptum eſt: „ *& accipient Sancti Regnum „Altiſſimi* (Dan 7. 18) „ *Qua eius accepta reſponſione Synodus (Dioſ„politana) dixit:* Neque hoc alienum eſt a Fide Eccleſiaſtica.
„ *Numquidnam ergo Fratres noſtros, ut etiam hoc inter cete„ra obiicerent, ſine cauſſa verba iſta moverunt? Non utique: Sed „Veteris Teſtamenti nomen modis duobus dici ſolet; uno modo „ſecundum Divinarum Scripturarum auctoritatem, alio ſecundum „loquendi vulgatiſſimam conſuetudinem .... Cum ergo Vetus Te„ſtamentum ad ſervitutem pertineat, unde etiam dictum eſt:* eiice „ancillam & filium eius; non enim haeres erit filius ancillae „cum filio meo Iſaac; *Regnum autem Coelorum ad libertatem, „quomodo etiam Regnum Coelorum ad Vetus pertinet Teſtamen„tum? Sed quoniam, ut dixi, etiam ſic ſolemus loqui, ut „Scripturas omnes Legis, & Prophetarum, quae ante Incarnatio„nem* Domini *miniſtrante auctoritate Canonica continentur, no„mine Teſtamenti Veteris nuncupemus, quis Eccleſiaſticis Litte„ris vel mediocriter eruditus ignorat, ita Scripturis illis promitti „potuiſſe Regnum Coelorum; ſicut etiam illud* TESTAMENTVM „NOVVM AD QVOD PERTINET REGNVM COELORVM? *certe enim „in illis Litteris apertiſſime ſcriptum eſt:* ecce dies veniunt, di„cit Dominus, & conſummabo domui Iſrael, & domui Iacob „Teſtamentum Novum, non ſecundum Teſtamentum, quod „diſpoſui Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eo„rum, ut educerem eos de terra Aegypti (Ierem. 31. 32) *Hoc „enim factum eſt in Monte Sina: Tunc autem Daniel Propheta „nondum erat, qui diceret:* Accipient Sancti Regnum Altiſſi„mi. HIS ENIM VERBIS PRAEMIVM NON VETERIS SED NOVI „TESTAMENTI PROPHETABAT; *ſicut ipſum Chriſtum venturum*

„ *idem*

» iidem Prophetae praenuntiaverunt, CVIVS SANGVINE DEDICATVM
» EST TESTAMENTVM NOVVM .... *In illo vero Teſtamento,*
» *quod quippe Vetus dicitur, & datum eſt in Monte Sina, non*
» *invenitur promitti apertiſſime niſi terrena felicitas. Unde illa*
» *Terra, in quam eſt populus introductus, & per eremum du-*
» *ctus, Terra Promiſſionis vocatur, in qua pax, & regnum,*
» *& ab inimicis victoriarum repertatio, & abundantia filiorum,*
» *ac fructuum terrenorum, & ſi qua huiuſmodi, haec ſunt pro-*
» *miſſa Veteris Teſtamenti: quibus etſi figurantur ad Novum*
» *Teſtamentum pertinentia ſpiritualia, tamen qui propter illa*
» *terrena ſuſcipit Legem Dei, ipſe eſt haeres Veteris Teſtamen-*
» *ti: ea quippe ſecundum Vetus Teſtamentum promittuntur, at-*
» *que tribuuntur, quae ſecundum hominem veterem concupiſcun-*
» *tur. Quae autem illic ad Novum Teſtamentum pertinentia figu-*
» *rantur, novos homines quaerunt: ſciebat enim quid loque-*
» *retur tantus Apoſtolus qui duo Teſtamenta in ancilla & libe-*
» *ra allegorica ſignificatione diſtincta eſſe dicebat, Veteri filios*
» *carnis, Novo Filios Promiſſionis attribuens:* non qui filii car-
» nis, *inquit*, hi Filii Dei; ſed Filii promiſſionis deputantur
» in ſemen (Rom 9 8). *Filii ergo carnis pertinent ad terrenam*
» *Ieruſalem, quae ſervit cum filiis ſuis; Filii autem Promiſſionis*
» *ad eam, quae ſurſum eſt, liberam Matrem noſtram in Coelis*
» *aeternam. Unde perſpicitur, qui ad regnum terrenum, & qui*
» *pertineant ad Regnum Coelorum.*

» *Iſtam diſtinctionem*, QVI ETIAM ILLO TEMPORE PER DEI
» GRATIAM INTELLIGENTES FILII PROMISSIONIS EFFECTI SVNT
» NOVI TESTAMENTI HAEREDES IN OCCVLTO DEI CONSILIO DE-
» PVTATI SVNT; *etiamſi Vetus Teſtamentum per temporum di-*
» *ſtributionem divinitus datum populo veteri congruenter miniſtra-*
» *verunt. Quomodo ergo non merito commoverentur Filii Pro-*
» *miſſionis, Filii liberae Ieruſalem in Coelis aeternae, cum iſta*
» *diſcretio Apoſtolica atque Catholica Pelagii verbis videretur*
» *auferri, & Hagar quodammodo Sarae crederetur aequari? Ille*
» *igitur haeretica impietate Scripturae Veteris Teſtamenti facit*
» *iniuriam, qui eam ex Deo Bono, Summo, & Vero fronte ſacri-*
» *lega et impietatis negat: ſicut Marcion, ſicut Manichaeus, &*
» *ſiquae alia peſtis hoc ſentit. Quapropter ut, de hac re quid*
» *ſentio, qua poſſum brevitate complectar; ſicut Veteri Teſtamen-*



» *to*,

„ *ro , ſi eſſe ex Deo Bono & Summo negetur :* ITA ET NOVO
„ FIT INIVRIA SI VETERI AEQVETVR . *Sed cum Pelagius re-*
„ *ſpondiſſet , cur dixerit in Vetere Teſtamento promitti Regnum*
„ *Coelorum , Danielis Prophetae commemorans teſtimonium ,* QVI
„ SANCTOS ACCEPTVROS REGNVM ALTISSIMI APERTISSIME PRO-
„ PHETAVIT , *non eſſe hoc alienum a Fide Catholica merito iu-*
„ *dicatum eſt , non ſecundum illam diſtinctionem , qua in Monte*
„ *Sina promiſſa terrena ad Vetus Teſtamentum proprie pertinere*
„ *monſtrantur ; nec tamen improbe ſecundum hanc loquendi con-*
„ *ſuetudinem , qua universae Scripturae Canonicae ante Incarna-*
„ *tionem Domini miniſtratae Veteris Teſtamenti appellatione cen-*
„ *ſentur . Non enim aliud eſt* REGNVM ALTISSIMI , *quam* RE-
„ GNVM DEI ; *aut quiſquam contendere audebit aliud eſſe* DEI RE-
„ GNVM , *aliud* REGNVM COELORVM . „

III. *Iam vero poſtquam haec diſſeruit Auguſtinus , tandem Cap. XXXV. Pelagii Articulum haereticum eſſe declarat , inquiens:* Haec ſunt , in quibus Epiſcopi Pelagium pronuntiaverunt piis conſentire doctrinis . Nunc ſimiliter recapitulando , illa paullo attentius videamus , quae illum contraria reprobare , & anathematizare dixerunt : in hoc enim potius tota haereſis iſta conſiſtit ... Haec ſunt , quibus haereſis illius dumeta quotidie pullulare , immo iam ſilveſcere dolebamus .... Quod lex ſic mittat ad Regnum , quemadmodum & Evangelium . *Auguſtinus igitur hunc Articulum , ſeu quod idem eſt :* Regnum Coelorum etiam in Vetere Teſtamento promiſſum , *veluti haereticum execratur . Sed huius Articuli ſenſus ex Auguſtini mente eſt de poſſeſſione Regni Coelorum tradita Sanctis Viris , Vetere Teſtamento adhuc habente ſtatum : Ex Auguſtini igitur mente haereticum eſt aſſerere , quempiam hominum ante Chriſtum ad Regnum Coelorum perveniſſe . Et ſane , quae ſit Auguſtini mens perſpicue cognoſcitur ex eiuſdem verbis , quae antea attulimus . Qua enim ratione per Auguſtinum Catholice dici poteſt ,* Regnum Coelorum etiam in Vetere Teſtamento promiſſum , *niſi quia Daniel ſuis verbis* „ *Accipient ſancti Regnum Altiſſimi* „ praemium non Veteris , ſed Novi Teſtamenti prophetabat , *eius utique Teſtamenti , quod* Chriſti Sanguine dedicatum eſt ? *Revera enim* ad Teſtamentum Novum pertinet Regnum Coelorum . *Atque haec adeo per Auguſtinum vera ſunt , ut* qui etiam illo tempore per Dei gratiam in-

intelligentes Filii promiſſionis effecti ſunt, Novi Teſtamenti haeredes in occulto Dei conſilio deputati ſint.

IV. *Dixerit utique cavillator aliquis, haereticum profecto eſſe aſſerere, vi ſua Legem miſiſſe ad Regnum Coelorum, quemadmodum & Evangelium; cum certum ſit Legem vivificare non potuiſſe; at haereticum non eſſe aſſerere, Iuſtos ob Chriſti Venturi Fidem vivificatos perveniſſe ad Regnum Coelorum vigente adhuc Moſis Lege. Illud autem, non iſtud ſenſiſſe Pelagium; quippe qui ſententiam ſuam Manichaeorum haereſi oppoſuiſſe ſe diceret, ne ſcilicet adhuc eius aſseclae blaſphemare auderent, Veterem Legem malam fuiſſe, & ex mala principio. Illud ergo, non iſtud damnatum eſt.*

V. *Sed quorſum huiuſmodi cavillationes? Siquidem iam Articulus iſte:* quod Lex ſic mittat ad Regnum, quemadmodum & Evangelium, *qui primum in Coeleſtio a Concilio XII. Carthaginenſi damnatus eſt, ut diſcimus ex Auguſtino Lib. 2. Pecc. Orig. c. XI. & ex Marii Mercatoris Commonitorio; quam haec Pelagii verba ad Concilium Diſpolitanum delata:* Regnum Coelorum etiam in Veteri Teſtamento promiſſum; *non de vi Legis fide in Chriſtum venturum ſpoliatae quaeſtionem excitabant, ſed de nimis praecoce adeptione Regni Coelorum. Docebat enim* Pelagius, & eius diſcipuli, *ut teſtatur ibidem Auguſtinus Cap. XXVI.* primum vixiſſe Iuſtos homines ex natura, deinde ſub Lege, tertio ſub gratia. Tunc enim duce ratione cognoſcebatur Creator, & quemadmodum eſſet vivendum, ſcriptum gerebatur in cordibus, non lege literae, ſed naturae. Verum vitiatis moribus ubi coepit non ſufficere natura iam decolor, Lex ei addita eſt, qua, velut Luna, fulgori priſtino detrita rubigine redderetur. Sed poſtea quam nimia peccandi conſuetudo praevaluit, cui ſanandae Lex parum valet, Chriſtus advenit, & tamquam morbo deſperatiſſimo, non per diſcipulos, ſed per ſe ipſum Medicus ipſe ſubvenit. *Quamobrem licet Pelagius & Celeſtius*, a gratia Mediatoris Iuſtos excludere conarentur antiquos, *ea nimirum gratia, quae aegras illorum voluntates ſanaverit, & amiſſas ad bene agendum reſtituerit vires, a qua tamen gratia & alienos voluere Chriſtianos: nullis nihilominus* abſque Redemptione Chriſti Regna Coelorum promiſerunt. *Erat enim & haec Pelagianae doctrinae particula, omnes Adae poſteros ſuapte natura, ſive Con-*

*ditoris largitate adepturos eſſe* vitam aeternam ; *Redemptoris autem beneficio* Regnum Coelorum : *unde parvulis non baptizatis* vitam aeternam *concedebant ; baptizatis autem* Regnum Coelorum . *Pelagius itaque* in Litteris, quas Romam miſit ... & Sancto Papae Zoſimo datae ſunt dicit : „ *ſe ab hominibus infamari*, „ *quod .... & abſque Redemptione Chriſti aliquibus Coelorum* „ *Regna promittat*. „ *Verumtamen* non ſic illis haec obiiciuntur, ut poſuit . Nam .... neque abſque Redemptione Chriſti aliquibus Coelorum Regna promittunt ( Aug. ibid Cap. XVII ). *Si ergo per Pelagium nullus abſque Chriſti Redemptione Coelorum Regna conſequitur ; profecto nec abſque Fide in Chriſtum . Pelagius igitur* Regnum Coelorum etiam in Veteri Teſtamento promittens , *non de vi Legis , Fide in Chriſtum ſpoliatae litem indicit ; ſed de praematura nimis Regni Coelorum adeptione* .

VI. *Ex multis quibus vindicari adhuc poſſet Auguſtinus a Pelagiana haereſi adeptionis Regni Coelorum ante Chriſtum , paucis hiſce delibatis , reliquum videretur , ut ea Auguſtini loca , quibus maximo fidunt , qui hactenus diverſa ſenſerant , explicarentur . Verum cum id feliciſſime a doctiſſimo Monacho ſummo cum ingenii , laboriſque laude confectum fuerit ; adeo ut nec Pelagianum reliquerit Auguſtinum , nec Millenarium , licet alterutrum fatendum neceſſario eſſe adverſarii putarent : cumque demonſtrato Pelagianiſmo in doctrina adeptionis Regni Coelorum ante Chriſtum , & cognita Auguſtini reluctatione , facile eadem loca aliis etiam rationibus unuſquiſque explicare poſſit , dummodo in Auguſtino incorruptibile aurum , non ſcoriae umbram perveſtiget ( quodnam enim inter homines aurum , quod aliquam ſcoriae umbram prae ſe ferre non videatur ? praeſertim cum ſecurius Pelagianis nondum litigantibus loquuti ſint Patres ) ; idcirco ab omni prorſus explicatione abſtineam , ne Praefationis terminos excedam , quae breviuſculae Diſſertationi praefigenda ſit* .

VII. *Res potius Dioſpolitanas breviſſime attingam . Profecto enim ex antea adductis noſcitur , eos Patres licet in Pelagii* promiſſione poſſeſſionem Regni Coelorum *aſſertam iure initio ſuſpicati fuiſſent ; ideo tamen eius Articulum poſtea abſolviſſe , quia , cum hinc non modo quinque Moſis Libros , ſed &* Scripturas omnes Legis , & Prophetarum , quae ante Incarnationem Domini miniſtrante auctoritate Canonica continentur , nomine Teſtamenti

Ve-

Veteris nuncupari *ſcirent ; inde autem a Pelagio audirent ipſum provocare ad Danielis verba ,* *quibus* Sanctos accepturos Regnum Altiſſimi apertiſſime prophetavit ; *ipſi propterea in Pelagii Articulo : Regni Coelorum poſſeſſionem futuram demum intelligentes , eum abſolverunt , qui revera* PROMISSIONIS *nomine poſſeſſionem Veteris etiam Teſtamenti temporibus obtentam blaſphemabat . Merito itaque de Pelagio dixit Auguſtinus* : abſolutionem ſuam fallendo furatus eſt ( *L. 2. Pecc. Orig. cap. XIV.* ) : Et *cap. XVI.* Non ergo tu abſolutus es, qui damnanda tenuiſti ; ſed illud abſolutum eſt, quod tenere debuiſti : *abſoluta nimirum eſt promiſſio Regni Coelorum , facta Iuſtis Antiquis , ſed praeſtanda poſt Chriſtum ; non vero ea promiſſio , quae eſſet poſſeſſio ante Chriſtum obtenta . Iam ergo non poſſumus cum Divo Hieronymo , eam Synodum prorſus* miſerabilem *iudicare : Cum enim & Tractatoria Zoſimi Papae Epiſtola , & pleraque Synodorum Carthaginienſium Pelagianas ad res pertinentia vel interciderint , vel adhuc deliteſcant ; profecto niſi Dioſpolitana Synodus interceſſiſſet , careremus fortaſſe & aliis omnibus monumentis , quae oſtendunt , iam longo ab hinc tempore veluti haereticam ab omnibus execratam fuiſſe , & ſtatim ab ortu ad Eccleſiarum Iudices delatam doctrinam adeptionis Regni Coelorum ante Chriſtum .*

VIII. *Quamobrem , ſi vera narras* Epiſtola Prima *ad Cl. Memachium initio commemorata , praeſertim* a Numero 24. ad 33. *illud maximopere dolendum , plurimos Auguſtinianae doctrinae opinione deceptos in eam tandem abiiſſe ſententiam , ut putarint , ſi vix aliis quam Auguſtini verbis praefari licet* , iſtam praeter Fidei periculum eſſe quaeſtionem , ut videlicet ſi in ea fuerint exorbitaſſe convicti , non criminaliter , ſed quaſi civiliter erraſſe videantur ( L. 2. Pecc Orig Cap. XXIII. ) ; *adeoque ab eis non abhorruiſſe doctrina , quam ab Auguſtino traditam fuiſſe a quibuſdam divulgatum eſſet . Sed cum non revera verſemur* in aliqua quaeſtione , in qua dubitari , vel errari ſalva Fide poteſt ; Sed in ipſa Regula Fidei , qua Chriſtiani ſumus ( ibid. c. XXIX. ) ; *neque enim putare licet , ſive adhuc* maturum & definitivum Eccleſiae iudicium eſſe expectandum ( Vindic. Aug. ab Error Millen. c XVI p. 204. &) *ſive* in hiſce doctrinis , *in explicatione ſcilicet V. Symboli Articuli a Catechiſmo Concilii Tridentini tradita , unde Orthodoxae Eccleſiae Fidem Catholici Paſtores omnes alendis populis decerpe-*

*re debent*; non inveniri characteres venerandae Traditionis; quae a conſtantia & antiquitate praecipue dignoſcitur (Div. Aug. quae videtur ſententia &c. Praef num 27.): Quid reſtat, niſi ut quiſque Catholicus pro viribus, quas ſumit a Domino, redargnat iſtam peſtem, eique vigilanter obſiſtat: ut cum reſpondendi neceſſitate ſine ſtudio contentionis pro veritate certatur, inſtruantur indocti; atque ita in Eccleſiae convertatur utilitatem, quod eſt inimicus in perniciem machinatus? (Aug. Inc. cit. Cap XXII.)

IX. *Ego itaque, ſicut in meo Spicilegio in Epiſtolam ad Hebreeos pag. XX. ne conniventiae, ac diſſimulationis vitium tanta in re mihi obiiciendum eſſet, ſtatuere debui, & pro loci natura breviſſime demonſtrare* ex Biblus N. T. certum eſſe, neminem ante Chriſtum, quantumvis pium & ſanctum, & a culpis poenave ſolutum in Coelum aſcendiſſe; adeoque Deum vidiſſe: *ita nunc, quoniam non defuit, qui nodum in ſcirpo quaereret, ſeque inveniſſe putaret, rem eamdem lubens dato opera pertractabo, & pro virili parte, licet quo potero brevius, vindicare conabor Honorem Conſummatae Redemptionis Ieſu Chriſti, qui non ſolum* deſcendit ad Inferos, ut ereptis daemonum ſpoliis, Sanctos illos Patres, ceteroſque e carcere liberatos ſecum adduceret in Coelum, quod ab ea admirabiliter, ſummaque cum gloria perfectum eſt (Catechiſ. Concil. Trident. l. c.); *ſed etiam paullo antea mortem obierat, ut conſummaretur tandem peccati expiatio, & humanae reconciliationis foedus ſanciretur.*

X. *Illud etiam prae oculis habere ſatagam, ut innuere non praetermittam, quantum haec Eccleſiae doctrina intereſſe Chriſtianos debeat: nonnulli quippe non deſunt, quibus etſi rem ad* Fidei Regulam *ſpectare perſuaſum ſit; non tamen iudicant eamdem perficiendis Chriſtianorum moribus conducere poſſe; ſed tantum ad Chriſtiani intellectus cognitiones amplificandas pertinere: adeoque de confutatione huius erroris non admodum ſolliciti hactenus fuerunt. Faxit autem Optimus Deus, omniumque hominum Redemptor Ieſus Chriſtus, ut exiguus hic labor Catholicae Eccleſiae bene vertat: hunc enim in id tantum ſuſcipere & ſuſtinere curavi, non vero etiam ut cuiuſpiam hominis honori detractum voluerim; quod etſi, quemadmodum verum eſt, perſuaſum omnibus eſſe cupiam: non alia tamen ratione meum hoc deſiderium oſtendere valui, quam nomen cuiuslibet, qui hactenus diverſo ſenſerit, aut in illo Spicilegio, aut hic reticendo.*

# HONOR CONSVMMATAE REDEMPTIONIS

## EX EVANGELICA ET APOSTOLICA DOCTRINA IESV CHRISTO RESTITVTVS ADVERSVS PELAGIANAM DOCTRINAM ADEPTIONIS REGNI COELORVM ANTE CHRISTVM

## *DISSERTATIO SINGVLARIS.*

### §. I.

1. DEmonſtraturus ego ex Biblis N. T. poſſeſſionem Regni Coelorum non praeceſſiſſe, ſed conſequutam eſſe conſummationem Redemptionis humanae, primum, idque ineluctabile argumentum deduco ex Evangelii verbis: *appropinquavit Regnum Coelorum*, ſeu quod idem eſt: *appropinquavit Regnum Dei*. Siquidem Ioannes Praecurſor Chriſtum humani generis Redemptorem monſtraturus, non aliis verbis monſtrationem ſuam exequitur, quam iſtis: *appropinquavit Regnum Coelorum* (Matth. 3. 2.) Chriſtus quoque Evangelii ſui initium facturus, vel ipſe exorditur iiſdem verbis, bonum hoc nuntium hominibus afferens: *appropinquavit Regnum Coelorum* (Matth. 4. 17.); ſeu quod idem eſt: *appropinquavit Regnum Dei* (Mar. 1. 15.). Ac ne quis putet fortuito hoc Evangelii exordium captum fuiſſe, ita ut perinde eſſet, ſive his, ſive illis verbis & Praecurſor, & Chriſtus homines affari inciperent, animadvertendum Chriſtum miſſurum Apoſtolos *ad oves, quae perierant domus Iſrael* (Matth. 10. 7.), eos iubere, ut idem Evangelii initium capiant, dum inquit: *Praedicate dicentes, quia appropinquavit Regnum Coelorum*; ſeu quod idem eſt: *appropinquavit in vos Regnum Dei* (Luc. 10. 9. 11.). Si itaque, aio, appropinquante conſummatione Redemptionis hominum, tum demum appropinquat *Regnum Coelorum*, *Regnum Dei*, hoc profecto antea longe aberat, nec ullus hominum ad idem perveoerat. Nullus igitur piorum hominum ante conſummationem Redemptionis humanae Regni Coelorum poſſeſſionem adeptus erat;

B nul-

nulli ante Chriſti glorificationem Divina Facies revelata fuerat, ut ea aeternum frueretur. Si enim nullus Regni Coelorum poſſeſſionem adeptus erat, nullus hominum ingreſſus fuerat Coeleſtem Ieruſalem, hoc eſt nullus adhuc Dei viſione aeternum beatus factus fuerat: eſt quippe *Regnum Coelorum*, *Regnum Dei* aeterna Divini Vultus manifeſtatio.

2. Inquiunt me *allegorico e ſenſu* ratiocinari; nec tamen, qui hoc a me fiat, oſtendunt; nec, quem ament putari eorum verborum *ſenſum litteralem*, patefaciunt. Mera igitur & nuda verba haec eſſe noſcuntur, ut cum rebus obſiſtere non poſſint verbis ſaltem reluctare videantur. Immo enim ſuapte natura *Regnum Coelorum*, *Regnum Dei* Eccleſiae Patribus, ac Bibliorum Interpretibus eam ſemper ingeſſit notionem, ex qua intelligerent, Deum faciem ſuam creatis mentibus revelantem immutabiliter, ſuper eas aeternum regnare. Si ergo Iuſtis Antechriſtianis Divina Facies immutabiliter revelata fuiſſet; ii profecto Regno Coelorum iam potiti fuiſſent; nec appropinquante Chriſti immolatione Regnum etiam Coelorum appropinquaſſet.

3. Atque haec adeo vera ſunt, ut, cum in Scripturis Novi Teſtamenti aliquoties *Regnum Coelorum* metaphorice etiam uſurpatum fuerit, ad figuratam acceptionam Patres, atque Interpretes confugere nunquam conſueverint, niſi cum contextus ſumi plane non poteſt de Coeleſti illa Ieruſalem, in qua Iuſti Deum vident, & Deus ſuper eos regnat. Sic Profecto Auguſtinus *L.20. Civ. Dei C.9.* allatus in Vindiciis Auguſtinianis ab arrora Millenariorum *Cap. 13.* exponans verſiculum 19. Matth. 5. ait: *Alio modo intelligendum eſt Regnum Coelorum, ubi ambo ſunt; & ille ſcilicet, qui ſolvit, quod docet; & ille qui facit; ſed ille minimus, iſte magnus. Alio autem modo Regnum Coelorum dicitur, quo non intrat, niſi ille, qui facit. Ac per hoc ubi utrumque genus eſt, Eccleſia eſt, qualis nunc eſt: ubi autem illud ſolum erit, Eccleſia eſt, qualis tunc erit, quando malus in ea non erit.*

4. Animadvertendum deinda aa tantum in Novo Teſtamanto figurate dici Regnum Coelorum, ad quae re vera pertinet Regnum Coelorum. Sic enim iis verborum translationibus aliquandô Chriſtus ſignificatur, aliquando Evangelica Doctrina, aliquando Eccleſia Chriſti in hoc ſeculo, quaa omnia qualem cum Re-

gno

 120

gno Coelorum, in quo Sancti Deum vident, cognationem habeant Orthodoxi omnes Theologi intelligunt. Quam ob rem licet diſſertiſſimus hic eſſe poſſem, ſi opus foret · cum revera tamen exploratiſſima in re verſemur, a pluribus abſtinendum. Non tamen praetermittendus Divus Hieronymus, qui eodem fere argumento, quo ego uſus ſum, Pelagianos refellit inquiens L. 1. adv. Pelagianos ex Pelagii Tit. 123. *Addis praeterea* Regnum Coelorum etiam in Veteri Teſtamento repromitti; *ponitque teſtimonia de Apocryphis; cum perſpicuum ſit Regnum Coelorum primum in Evangelio praedicari per Ioannem Baptiſtam, per Dominum Salvatorem, & Apoſtolos. Lege Evangelio. Ioannes Baptiſta clamat in deſerto* „ Poenitentiam agite; appropinquavit enim Regnum Coe„ lorum. „ *Et de Salvatore ſcriptum eſt:* „ Ex eo tempore cepit „ praedicare, & dicere: Poenitentiam agite, appropinquavit „ enim Regnum Coelorum. „ *Et iterum:* „ Circuibat Ieſus civi„ tates & vicos, docens in Synagoga eorum, & praedicans Re„ gnum Dei. „ *Et Apoſtolis praecipit.* „ Ite & praedicate di„ centes, quoniam appropinquavit Regnum Coelorum. „ *Tu autem nos Manichaeos vocas, cur Legi Evangelium praeferentes,* IN ILLA VMBRAM IN HOC VERITATEM *eſſe dicamus; Et non intelligis ſtultitiam tuam impudentiae copulatam. Aliud eſt damnare Legem, quod Manichaeus facit; aliud Legi praeferre Evangelium, quae Apoſtolica doctrina eſt. In illo enim ſervi; in hoc praeſens Dominus loquitur:* IBI PROMITTITVR. HIC IMPLETVR. IBI INITIA. HIC PERFECTIO EST: *in illa operum fundamenta iaciuntur.* HIC FIDEI ET GRATIAE CVLMEN IMPONITVR. *Hoc poſuimus, ut egregii praeceptoris doctrina monſtraretur.*

5. Sed inquit Auctor Epiſtolae, quam publici iuris fecerunt Ephemerides Litterariae Florentinae, dictum quoque a Chriſto in primis (Matth. 23. 13.) *vae vobis Scribae & Phariſaei hypocritae, quia clauditis Regnum Coelorum*, „ *vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare*; adeoque Regnum Coelorum iam ante conſummationem Redemptionis humanae patuiſſe, ſi idem a Phariſaeis claudebatur. Deinde vero (ibid 21 43.): *auferetur a vobis Regnum Dei*; ex qua ſane intelligitur adeptionem Regni Dei penes Iudaeos fuiſſe. Ac demum (ibid. 19 14.) *ſinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium eſt enim Regnum Coelorum*; .

 6. Ve-

6. Verum germana horum expoſitio nullam reliquam facit difficultatem. Iis enim verbis, quae primo obiecta ſunt loco, invehitur Chriſtus in Scribas & Phariſaeos, qui turbas abducebant ab Seipſo, qui erat oſtium, per quod Coelum ingredi poſſent; eiſque iure exprobret, quod Regnum Coelorum clauderent; & non intrantes ipſi, h. e. non credentes Chriſto, per quem itur ad Regnum; nec introeuntes ſinerent intrare, h. e. a Chriſto abducerent, ne & hi fidem in Chriſtum haberent; ac propterea Regnum Coelorum numquam ingrederentur. Profecto & *Luc.* 11. 20. ac *Matth.* 18. 28. Ieſus, ut eum ſe eſſe monſtraret, qui deducit in Regnum Dei, ſcilicet Chriſtum, quem expectabant, inquit: *porro ſi in digito Dei eiicio daemonia, profecto pervenit in vos Regnum Dei*, h. e. pervenit Chriſtus, per quem unum Coelum reſeretur, & perveniri poteſt ad Regnum Dei, aeternamque contemplationem Divini Vultus. Vnde & Hieronymus hunc Matthaei locum explicans, inquit: *vel ſe ipſum ſignificat, de quo alio in loco ſcriptum eſt*: „ Regnum Dei intra vos eſt „ ... *vel certe illud Regnum, quod & Ioannes & ipſe Dominus praedicaverunt*: „ Appropinquavit Regnum Coelorum. „ Quamquam & ipſa Chriſti verba, ſi de eorum medio duae, quae citata in Epiſtola appoſitae cernuntur, virgulae expungantur, & eorum loco textus integer afferatur, perſpicuum fit, nullam inde gigni poſſe difficultatem; dixit enim re vera Chriſtus: *quia clauditis Regnum Coelorum* ANTE HOMINES; exiſtente enim inter homines Chriſto, iam & Regnum Coelorum ante homines erat. Sapienter itaque ab Auguſtino dictum eſt *Tract.* 45. *in Ioannem*: *Phariſaei ... Chriſtum ſonabant, venturum ſperabant, & praeſentem non agnoſcebant ... negabant Chriſtum, & non intrabant per oſtium. Ergo & ipſi, ſi quos forte ſeducerent, mactandos, & occidendos, non liberandos ſeducerent.*

7. Neque etiam quidquam loco altero, quod obiicitur, confici poteſt. Quamvis enim Iudaei Regni Coelorum poſſeſſionem ante Chriſtum adipiſci non poſſent; idem tamen ab eis alienum non erat, ſi *fructus eius* feciſſent, eoque poſt humani generis Redemptionem potiti fuiſſent. At cum in adventu Chriſti *fructus eius* facere iam nollent, nec divinae obtemperare voluntati, & Chriſto credere; propterea comminatur illis Chriſtus: *Auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus*

*eius*

*eius*; vos nimirum penes quos hactenus fuit depoſitum Fidei deducentis tandem ad Regnum Coelorum, reiiciemini, & depoſitum illud dabitur genti ſacienti ſructus eius. Non ergo Chriſti verba oſtendere valent, poſſeſſionem Regni Coelorum obtineri a Iudaeis antea potuiſſe.

8. Multo autem minus ullam locus tertius difficultatem parere poteſt; neque enim dixit Chriſtus: HORUM EST *enim Regnum Coelorum, ſed* TALIUM: eorum nempe, qui innocentia veluti puerorum praediti ſint; unde & in Greco Textu legitur non *τούτων*, ſed *τοιούτων*. Quamobrem & paullo antea dixerat (cap 18 3.) *niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum Coelorum*. Si quis igitur illud ex his verbis inferendum putaret Hebraeorum pueros ante Chriſtum ſtatim a morte Coelum adeptos eſſe, profecto ſe ad vim verborum Chriſti noſcendam non perveniſſe monſtraret.

9. His breviter expoſitis inveſtigemus nunc ſecretiorem ſenſum verborum: *Appropinquavit Regnum Coelorum*. Quot quaeſo precibus, quot lacrimis poſtulatus eſt a Deo deſideratus cunctis gentibus? Nimis nota res eſt, ut demonſtratione indigeat. Quis ergo ſibi perſuadeat Veteres Iuſtos tam anxios & ſollicitos, ne amplius tardaret Chriſtus, eſſe debuiſſe, ſi ſola Fide in Ipſum Venturum beatitatis aeternae poſſeſſionem adipiſci poterant? Profecto ſi animae illae ad Dei conſpectum perveniebant, quin Chriſtus reapſe adveniret, aliud nihil collaturus illis erat Chriſtus adveniens, quam quod iam accepiſſent, aut in ſine ſeculorum tantummodo accepturi eſſent, carnis nempe reſurrectionem. Quaenam igitur ratio ſufficiens tot deſideriorum, tot precum, tot lacrimarum? Si extremum tantum Chriſti Iudicis Adventum Veterum Iuſtorum vota reſpiciebant; cur quaeſo, poſtea quam Chriſtus in carne apparuit, Eccleſia plane conticuit? Utique *& nos ipſi intra nos gemimus adoptionem Filiorum expectantes, Redemptionem corporis noſtri* (Rom. 8. 31.). Utique *animae interfectorum propter Verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant, clamabant voce magna dicentes: Uſquequo Domine Sanctus & Verus non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum?* (Apoc. 6) Verum ubinam Eccleſiae preces, ubi vota, ubi gemitus ad ſollicitandum alterum Chriſti Adventum? Quaenam igitur ratio ſufficiens, cur Eccleſia poſt primum Chriſti Adventum ab iis votis penitus abſtinuerit, quibus Veteri vigente Foedere tantopere abundavit?

Aliam

Aliam equidem non video, quam promiſſum ad Regnum perveniri non potuiſſe, niſi Chriſtus adveniret. Expletis itaque his deſideriis, iam amplius Eccleſia ſollicita non fuit de altero Chriſti ſponſi ſui Adventu, ſed omnes eius preces & vota converſa ſunt ad impetrandam amplificationem gloriae Dei & Chriſti; ad obtinendam hoſtium debellationem; ad poſtulandam fidelium perfectionem. Intelligant ergo, qui diverſa ſentiebant, quanta vis inſit pauculis iſtis vocibus: *Appropinquavit Regnum Coelorum*. Cum enim Coelorum ianuae nulli hominum patere poſſent, niſi ab ipſo Chriſto reſerarentur; felicius ſane nuntium Iudaeis afferri non poterat, quam proximum eſſe, iam iam reſerandum eſſe Coelorum Regnum, tamdiu piis ab hominibus expectatum. Felicioribus igitur verbis Ioannes Praecurſor auſpicari non poterat Chriſti monſtrationem, quam iſtis: *Appropinquavit Regnum Coelorum*: optatius nuntium afferre non poterat Chriſtus ipſe Iudaeis: rem gratiorem denuntiare non poterat ovibus, quae perierant domus Iſrael, quam eas per Apoſtolos ſuos admonens, appropinquaſſe tandem deſideratiſſimum illud Regnum Coelorum, quod etſi iamdiu promiſſum fuerat; tandiu tamen abeſſe debuerat.

10. Tanti momenti eſt illud *Appropinquavit Regnum Coelorum*, ut in eo ſita ſit potior ratio ſufficiens, cur Novum Foedus EVANGELII nomen ſortitum fuerit. Optime itaque Theodoretus (in cap. 1. Ep. ad Rom.) illud Pauli: *Evangelium Dei* exponit his verbis: *Εὐαγγέλιον δὲ τὸ κήρυγμα προσηγόρευσεν, ὡς πολλῶν ἀγαθῶν ὑπισχνούμενον χορηγίαν· εὐαγγελίζεται γὰρ τὰς τοῦ Θεοῦ καταλλαγάς, τὴν τοῦ διαβόλου κατάλυσιν, τῶν ἁμαρτημάτων τὴν ἄφεσιν, τοῦ θανάτου τὴν παῦλαν, τῶν νεκρῶν τὴν ἀνάστασιν, τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον, τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.* i. e. *Praedicationem autem Evangelium appellavit, ut quae multorum bonorum largitionem promitteret: annuntiat enim Dei reconciliationem, diaboli diſſolutionem, peccatorum remiſſionem, mortis ceſſationem, a mortuis reſurrectionem, vitam aeternam, Regnum Coelorum*. Euſebius quoque Caeſarienſis (*L. 1. Praepar. Evang.*) Evangelium & ipſe concinne definit his verbis: *λόγος ἐπαγγέλλων παρεῖναι ἀγαθὸν τὸ προσδοκώμενον*. i. e. *ſermo annuntians adeſſe bonum expectatum*. Quid autem Iudaeis adfuiſſet, cum Chriſtus advenit, ſi iam ſola fide in ipſum Venturum Regno Coelorum potiti fuiſſent?

11. Im.

11. Immo conqueri de Chriſto potuiſſent Iudaei, ſi antea ad Regni Coelorum poſſeſſionem pervenire valuiſſent, ſibi in poſterum difficiliorem fieri aditum. Siquidem *a diebus Ioannis Baptiſtae uſque nunc Regnum Coelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* (Matth. 11.). An non etiam pigri ſegneſque; multoque magis mali Chriſtiani Chriſto oblatrare auderent ob ſublatum repudii libellum; ob proſcriptam polygamiam; ob veticam inimicorum ultionem, immo ob horum amorem praeceptum; ob Poenitentiae Sacramentum inſtitutum, enim Antiqui Iuſti, qui huiuſmodi proſcriptionibus, praeceptiſque caruerunt, idem tamen Regnum conſequuti fuiſſent? Quis lubenter ferret traditam Eccleſiae poteſtatem condendarum legum, quarum praevaricatio excludat a Regno Coelorum? Videtur ne alicui paucis legibus, Chriſti Eccleſia ſeipſam regere? Arbitror equidem Chriſtianorum plurimos illud deſideraturos potius fuiſſe, ut Adventum ſuum Chriſtus longiſſimum adhuc in tempus diſtuliſſet. Contra vero ſiquis animo recogitaverit, neminem Deo frui, & vere beatum eſſe potuiſſe; immo ſempiterna moleſtia, ob vehementiſſimum Divini Vultus contemplandi deſiderium, omnes quantumvis pios & iuſtos affectos eſſe oportuiſſe, niſi Chriſtus ille adveniret, ob cuius unice meritum Deus faciem ſuam revelaturus erat lapſis hominibus, quis non fateatur huiuſmodi Redemptorem iuſte perfecta hominibus praecepiſſe; quamvis aliquid antea ob hominum duritiem veteribus indulſiſſet? Quis ad omnem ſagnitiem ab ſeipſo expellendam non excitabitur? Quis ſeipſum Chriſto magis obſtrictum non perſentiſcat? Nullus certe impius Chriſto oblatrare iam poterit. Aptiſſime igitur & nomine vero divinitus dato Novum Foedus EVANGELII nomine denominatum eſt: aptiſſime Paulus *Evangelium pacis* cognominavit (Eph. 6. 15.): *Evangelium ſalutis* (Ibid. 1. 13): *Evangelium gloriae* (1 Tim. 1. 11. & 2 Cor. 4. 4.) uno verbo *Evangelium Regni* aptiſſime eſt appellatum (Matt. 4. 23.): unde perſpicue a Chriſto dictum: *Lex & Prophetae uſque ad Ioannem: ex eo Regnum Dei Evangelizatur* (Luc. 16. 16.).

12. Sapienter itaque & Auguſtinus *Cap. V.* de Geſtis Pelagii, quod in Praefatione tranſcripſi, iſtud in Pelagianos intorquet: *Sicut Veteri Teſtamento, ſi ex Deo Bono, & Summo negetur; ita & Novo fit iniuria, ſi Veteri aequetur.* Si enim ad Regnum Coelorum, aeternamque contemplationem Divini Vultus etiam

ante

ante Evangelium pervenire homines poterant, quod nam diſcrimen, quod Orthodoxam ad Fidem pertinere noſcatur, reliquum erit utrumque inter Foedus, aut Evangelium inter ac tempora Legem praecedentia? Curnam pretioſus Ieſu Chriſti Filii Dei Sanguis effuſus eſt, ſi & ſine effuſione illa homines Deo frui potuerunt? An turpem adeo, acerbamque mortem oppetiit Chriſtus, ut hominibus carnis tantummodo reſurrectionem promereretur? Verum nonne eo rem deveniſſe dolemus, ut elapſo anno Venetiis evulgere ſit: *Diſſertazione Epiſtolare ... ſe anzi anco il corpo di tutte le beſtie paja dover ripararſi dall' Onnipotenza di Dio nel fine de' tempi, ſecondo le divine Scritture, e lo interpretazioni di S. Agoſtino?* Ne iſtud quidem ergo diſcrimen reliquum fuerit, ſi qui, nihili aeſtimantes tot ſigna, & virtutes, quibus Optimus Deus Chriſti ſui Reſurrectionem, tamquam noſtrae pignus, adſtruendam iudicavit, hanc in ſententiam pedibus ire veriti non fuerint.

## §. II.

1. NEC minus inſuperabile eſt alterum, quod ego urgeo argumentum, quippe quod neceſſario fluet ex Petri alloquutione in Actibus Apoſtolorum deſcripta (Cap. 2. 22. ſeqq.). Hanc itaque ferme integram me praeſcribere non pigeat, ne quid abſit a Lectoris oculis. Inquit ergo ibi Petrus: *Viri Iſraelitae, audite verba haec: Ieſum Nazarenum ... definito conſilio, & praeſcientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemiſtis; quem Deus ſuſcitavit a mortuis ſolutis doloribus Inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo: David enim dicit in eum ...* „ quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum Tuum videre corruptionem .... „ *Viri Fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus eſt, & ſepultus, & ſepulcrum eius eſt apud nos, uſque in hodiernum diem. Propheta igitur cum eſſet ... providens loquutus eſt de Reſurrectione Chriſti ... Hunc Ieſum reſuſcitavit Deus, cuius omnes nos teſtes ſumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus Sancti accepta a Patre effudit hunc, quem vos videtis, & auditis. Non enim David aſcendit in Coelum, dixit autem ipſe:* „ Dixit Dominus Domino meo „ ſede a dextris meis. „

2. Ex hac porro Petri alloquutione perſpicuum eſt, duo ipſum demonſtranda ſuſcepiſſe; alterum ſcilicet, Deum excitaſſe Ieſum a mortuis; alterum vero, hunc Ieſum dextera Dei exaltatum in Apoſtolos ſuos Spiritum Sanctum effudiſſe. Prius itaque illud ut demonſtret Petrus, utitur Davidis vaticinio: *Non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum Tuum videre corruptionem.* Sed quid confeciſſet Petrus, ſiquis alius, non ſecus atque Chriſtus, a mortuis reſurrexiſſet? nonne de illo Davidem vaticinatum eſſe reſpondere quis potuiſſet? Novit iſtud & Petrus. Quamobrem inquit: *liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus eſt, & ſepultus, & ſepulcrum eius eſt apud nos uſque in hodiernum diem. Propheta igitur cum eſſet, providens loquutus eſt de Reſurrectione Chriſti.* Sed quid his verbis proficit Petrus, niſi unum Davidis nomen iuſtos omnes Chriſto praemortuos comprehendat? elumbem profecto eſſe hanc orationem oportet, nulliuſque momenti, niſi uno in Davide omnes plane alios intelligendos eſſe Iudaei fateri debeant. Cum itaque ſine blaſphemia in Spiritum Sanctum, cuius afflatu Petrus loquebatur, Chriſtianorum nemo dicere valeat, enervem eſſe eam Petri ratiocinandi rationem: idcirco nec eorum quiſquam putare poteſt communem Synagogae fidem illud permiſiſſe Iudaeis, ut denegare iure poſſent unum Davidis nomen reliquos plane omnes complecti: ac propterea ineluctabilis noſcitur ea Petri demonſtratio. Tanti autem revera roboris eſt haec argumentandi ratio, ut Dei Spiritus non aliam Paulo quoque inſpiraverit, cum Iudaeos Antiochenos alloquutus eſt ( Act. 13. 38. ). Quamobrem ſiquis hoc indigeret, iure inde oſtenderet primum omnium, *iam non reverſurum in corruptionem*, ſeu qui glorioſus a mortuis reſurrexerit, Chriſtum eſſe debuiſſe: neque enim ille vel minimum commoveri poſſet inconſideratis hiſce verbis Epiſtolae ad P. D. Iſidorum Bianchi „ permiſe, ſecondo *S.* „ *Matteo* (*cap. 27. v. 52.*) che molti corpi de' Santi, cha erano „ morti, riſorgeſſero, e ſi facaſſero vedere nella Santa Città; „ durante la dimora dell' anima ſua nell' Inferno, e del corpo „ ſuo chiuſo nel ſepolcro „ ( Novell. Lett. 1769. num. 10 col. 151. ): his inquam, commoveri nullo modo poſſet, cum diſerte Matthaeus ℣. 53. rem ita declaret: *& exeuntes de monumentis poſt Reſurrectionem eius venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt*

 mul-

*multis*. Unde quamvis certum eſset, eos a mortuis excitatos fuiſſe non amplius in corruptionem reverſuros; certum eſt tamen eos ante Chriſtum non ſurrexiſſe.

3. Iam vero plane ſimili ratione demonſtrat Petrus & alterum, Ieſum nempe dextera Dei exaltatum, Spiritum Sanctum in Apoſtolos effudiſſe, unico hoc argumento: *Non enim David aſcendit in Coelum; dixit autem ipſe*: „ Dixit Dominus Domi- „ no meo, ſede a dextris meis. „ At quam vim iſtud haberet, ſiquis alius, prius quam Chriſtus, ante conſpectum Dei exaltatus fuiſset? ideo enim per Petrum Ieſus exaltatus eſt dextera Dei, quia de Chriſto, non de ullo alio dictum eſt: *Dixit Dominus Domino meo ſede a dextris meis*: ideo vero hoc de uno Chriſto, & non de ullo alio dictum eſt, quia *David non aſcendit in Coelum*. At ſi quis alios praeter Davidem in Coelum aſcendiſſet inanis foret haec ratio. Et hic igitur unum Davidis nomen Iuſtos omnes Chriſto praemortuos Orthodoxis manibus exhibere neceſsario debet, vel unus enim hominum, quem ad conſpectum Dei exaltatum, ſeu quod idem eſt, in Coelum aſcendiſse noviſsent Iudaei, vel modo noſcerent Chriſtiani, ineptam faceret Petri demonſtrationem. Cum ergo nefas ſit putare aliquem vel Iudaeorum, vel Chriſtianorum ſultum aliquid dicere poſse contra hanc Petri orationem; evidens propterea eſt, neminem ante Chriſtum in Coelum aſcendiſse, hoc eſt Deo fruitum eſse. Iure ergo & hinc infertur, & Chriſtum primum omnium hominum fuiſse, qui Deo fruitus ſit; & id ita eſſe oportere, ab Orthodoxis Iudaeis negari non potuiſse.

4. Cur ergo inquit Auctor Epiſtolae nuper citatae: „ Creda „ a me il P. Lettore, che il Popolo Ebreo non era tanto igno- „ rante de' neceſsari miſteri della Religione, da torre uno ſcam- „ bio così eccesſivo. Perchè Abramo, Iſacco, Giacobbe, e gli „ altri Patriarchi, e Profeti non erano riguardati dal popolo „ come Signori ſuoi; onde penſare, che il *Dixit Dominus Do-* „ *mino meo*, ſi poteſse adattare a qualcun di loro, molto me- „ no a tutti? (col. 144.). „ At iſtud ne ego dixi? Immo enim inquimus nos, quia hoc dici a nemine poteſt, inſuparabile eſt Petri argumentum; & ideo a nemine dici poteſt, quia nec David, nec ullus alius ante Chriſtum in Coelum aſcendit, hoc eſt ad aeternam contemplationem Divini Vultus pervenit.

5.

5. Sed inquit ibidem Epiſtolae eiuſdem Auctor: „ Pronun- 124
„ ziando S. Pietro queſte parole nel giorno della Pentecoſte:
„ cioè dieci giorni dopo la glorioſa Aſcenſione del Redentore in
„ Cielo; ſe eſse poteſsero riferirſi all'anima ſeparata di Davide;
„ egli non ſarebbe ſtato allora liberato dal Limbo; ed anzi ſareb-
„ be fuori del Cielo anco al preſente; perchè queſte parole ſi
„ leggono tuttavia, come ſtanno e giacciono, nella Chieſa; e
„ vi ſi leggeranno fino alla fine de' tempi. „

6. Verum quo non adigit ſtudium tuendi, quod falſo animo praeconceperis? Utique eo Pentecoſtes die per Iudaeos, qui ſciebant aeternum in Regnum neminem hominum deduci potuiſse niſi a Chriſto, & tamen Ieſum eſse Chriſtum negabant, & glorioſum a mortuis reſurrexiſse, & in Coelum aſcendiſse, nec David, nec ullus alius adhuc ad Dei conſpectum pervenerat, nec tamdiu per eoſdem pervenire poterat, quamdiu ea ſentirent, Norunt porro ſapientes omnes optimam cuiuſpiam revincendi rationem eſse argumentationem ex eius principiis. At qui Iudaei Chriſti fidem ſuſceperant, iam didicerant, ſtatim atque Chriſtus emiſit ſpiritum, ut Catechiſmi Romani verbis utar, *clariſſimam lucem captivis attuliſse*, nimirum *animabus Sanctorum ante Chriſti Adventum exceptis in ſinu Abrahae, eorumque animas immenſa laetitia gaudioque impleviſse; quibus etiam optatiſsimam beatitudinem, quae in Dei viſione conſiſtit, impertivit*; neque huius generis Iudaeos urget Petri ratiocinatio, quippe quae ex eorum principiis deducta non eſt, nec iiſdem aut revincendis, aut inſtruendis accomodata.

7. Cur itaque libertime eadem in Epiſtola de Hebraeis ſcriptum eſt (col. 1,2.) „ Ne eſſi potevano eſsere diſpoſti a credere
„ negata a' Santi Patriarchi, Profeti, ed altri giuſti la merce-
„ de di veder Dio, e poſsederlo dopo la morte; di che fa fe-
„ de anco la preſente credenza di quella perfida nazione? „
Horum enim primum vel falſum eſt, vel male ratiocinatus eſt Petrus, ſive Spiritus Sanctus, ut antea demonſtravi. Alterum vero ſatis per ſe oſtendit, quo a me odium creandum ſit, a doctrina adeptionis Regni Coelorum ante Chriſtum Catholicos Theologos ob id etiam abhorrere debere, quod Iudaiſmo faveat. Cum enim Iudaicus Populus ab Apoſtolis Chriſti, & ab omnibus deinceps Doctoribus perpetuo audiret, quemlibet, qui in

 Chri-

Chriſtum iam miſsum non crederet, a Regno Coelorum alienum eſſe opertere; prupterea Iudaeorum Magiſtri Populum in eum deduxere errorem, ut crederet Maiores ſola fide in Chriſtum venturum ad Regnum Coelorum perveniſse, adeoque eidem perſuaderet facilius fidem hanc ad aeternam Beatitatem obtinendam adhuc ſufficere; neque ad id neceſsariam eſse fidem Chriſti iam manifeſtari: ita enim ſibi facilius confidere poteſt Populus Iudaicus, ſe eo pervenire debere; quo Maiores iamdiu pervenerant. Deinde vero Iudaeis utique *credita ſunt eloquia Dei*, Deuſque providit, ut eadem religioſe ab iis cuſtodirentur, ut *Chriſtianorum Arcaris*, quemadmodum a Divo Auguſtino obſervatum eſt, eſse noſcerentur: at depoſitum traditionum iamdiu ab iiſdem ablatum eſt, quanda & Regnum Coelarum ab ipſis ablatum fuit: unde ex recentium Iudaeorum tantummodo credulitate argumentari, periculi plena res eſt. Cum itaque ex iis, quae mox dicturus ſum, quiſque intelligere poſſit, doctrinam adeptionis Regni Coelorum ante Chriſtum Veteris etiam Teſtamenti oraculis repugnare, illud etiam intelliget, erroneam quoque eſse obiectam Iudaeorum, qui nunc ſunt credulitatem.

## §. III.

1. PLurima alia afferre nunc poſsem argumenta, quibus adhuc oſtenderem, neminem ante Chriſtum ad aeternam beatitatem, quae in Dei Viſione conſiſtit, perveniſse. Una ſiquidem Pauli Epiſtola ad Hebraeos, *ἣ περιέχει περί τε ἰουδαϊκῶν μυστηρίων, καὶ τὴν ἐκ τούτων μετάθεσιν εἰς χριστὸν, προκατηγγελμένην ἀπὸ τῶν προφητῶν* i. e. *quae complectitur & Iudaica myſteria, & ex his translationem in Chriſtum, a Prophetis praenuntiatam*, ut loquitur Euthalius (Prolog. in Epp. Pauli), ampliſſima Veterum Novis cum rebus comparatione facta, eorum nihil praetermittit, ex quibus Iudaei ad Chriſtum converſi non poſsent non intelligere, conſummata tantummodo hominum Redemptione, pias Maiorum animas ad immutabilem Divini Vultus contemplationem extolli potiſse: unde ſicuti alia plurima Novi Teſtamenti; ita nihil ferme huius Epiſtolae recte intelligi poteſt ab iis, qui ad eius lectionem acceſserint, poſtea quam praeiudicaverint, Antechriſtianos Deo fruitos eſse. Licet enim ibi fateatur Apoſtolus

(Cap.

(*Cap.* 5. 11.) ſermonem ſuum ad interpretandum difficilem eſse; declarat tamen difficultatem eam ex una ſegnitie, & imbecillitate audientium proficiſci, qui cum debuiſsent eſse magiſtri propter tempus, rurſum tamen indigebant, ut docerentur elementa principii oraculorum Dei: περὶ οὗ, inquiens, πολὺς ἡμῖν ὁ λόγος, καὶ δυσερμήνευτος λέγειν, ἐπεὶ νωθροὶ γεγόνατε ταῖς ἀκοαῖς· καὶ γὰρ ὀφείλοντες εἶναι διδάσκαλοι διὰ τὸν χρόνον, πάλιν χρείαν ἔχετε τοῦ διδάσκειν ἡμᾶς τίνα τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ θεοῦ. At quamquam vera haec ſunt; ſatius tamen duco fundamentum ponere, extra quod aliud alius nemo ponere poſſit; ita enim immobilia eſse noſcentur, quae a me conſtituta ſunt.

2. Obſervo itaque Orthodoxae Fidei dogma eſse, neminem hominum ad aeternam Dei Viſionem pervenire poſse, niſi perfecte conſummata ſit peccati remiſſio, ſeu niſi omnino propitius peccatori factus fuerit Deus. Porro Orthodoxae ejuſdem Fidei dogma eſt etiam, antequam Chriſtus pro hominibus in ara Crucis immolatus eſset, perfecte expiatum non fuiſse peccatum, Deumque hominum generi nondum plane propitium factum fuiſse. Indulſit quidem Miſericors Deus, ne omnes plane homines, qui Chriſto praemorerentur, peccatorum remiſſione penitus carere oporteret; indulſit, inquam, ut Fide in Chriſtum venturum, & poenitentia, ſigniſque aut temporibus, aut perſonis accommodatis a ſuorum criminum reatu ſolverentur, Divina miſeratione ſua acceptans Fidem in Chriſtum venturum, tamquam inchoatam Redemptionem: At eamdem ob fidem venturi Chriſti non propterea illud indulſit hominibus, ut ſibi vere ſatisfactum cenſeretur a nobis, niſi poſtquam reipſa verum peccati pretium & hoſtiam Chriſtus pro hominibus ſolviſſet, & obtuliſſet. Quamvis igitur homo lapſus, aut ab originali, aut a ſuorum criminum reatu ſolutus fuiſset, & poenae quidquid ab homine peccatore exigit ſcelerum Vindex Deus, luiſset: nondum tamen, de Antechriſtianis dum loquimur, peccatorum remiſſio conſummata fuit.

3. Inquit ergo Danieli Angelus (9. 24.): *ſeptuaginta hebdomades abbreviatae ſunt ſuper populum tuum, & ſuper Urbem Sanctam tuam, ut conſummetur praevaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna ... & ungatur Sanctus Sanctorum ... Et poſt hebdomades ſexaginta*

*duas*

*duas occidetur Chriſtus* ..... *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una ; & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium*. Sive iuxta litteram Textus *ad conſumendum praevaricationem, & ad ſigillandum peccata, & ad expiandam iniquitatem, & ad adducendum iuſtitiam ſeculorum* ... *Et in dimidio hebdomadae ceſſare faciet ſacrificium*. Hoc porro vaticinium de Chriſto eſſe Catholici omnes conſentiunt ; licet enim unus, alterve eius litteram de Chriſto non eſſe dicere veritus non fuerit ; nullus tamen de ſenſu myſtico dubitare auſus eſt. Si ergo vaticinium de Chriſto eſt, & in Chriſto impletum, profecto in Chriſto tantum conſumpta eſt praevaricatio, ſigillatum peccatum, expiata iniquitas, & adducta iuſtitia ſeculorum. Arbitror equidem negaturum neminem hic Danielem vaticinari de peccati expiatione : vel enim de ea loquitur, vel de fine peccati, ita ut poſt Chriſtum nullum futurum eſſet peccatum : ſed immolato Chriſto homines a peccatis non ceſſarunt ; eſt ergo vaticinium de vera peccati expiatione. In Chriſti igitur tantum immolatione peccata hominum vere expiata ſunt.

4. Neque dixerit aliquis, Danielem vaticinari de illius peccati expiatione, quod moriente Chriſto nondum remiſſum eſſet : adeoque cum veterum Juſtorum peccata fide in Chriſtum venturum remiſſa fuiſſent, ea a Chriſto expiata non fuiſſe. Siquidem a Catholicis huiuſmodi Theologia admitti non poteſt. *Septuaginta* enim *hebdomades abbreviatae ſunt ſuper populum tuum* ; vaticinatur ergo Daniel de expiatione ſcelerum totius populi, adeoque omnium hominum. Deinde vero eum Angelum vaticinatum eſſe de vera expiatione ſcelerum omnium hominum evidenter noſcitur ex verbis : *& in dimidio hebdomadis ceſſare faciet Sacrificium*, ſi cum doctrina Apoſtoli (Hebr. c. 9. & 10.) conferantur. Hinc enim perſpicue apparet, ideo ab Angelo dictum hoc fuiſſe, quia cum peccatum illud, ſive quo ſinguli homines ab Adam uſque tenebantur obſtricti, ſive quo unuſquiſque hominum ſeipſum mala ſua voluntate infeciſſet, veterum ſacrificiis perfecte expiari non poſſet ; iterabantur idcirco eadem ſacrificia, donec immolatione Chriſti peccatum perfecte expiaretur, Deoque pro peccatis hominum vere ſatisfieret, & Deus omnino propitius fieret hominibus ; ac propterea Danieli Angelus dixit : *in dimidio hebdomadis ceſſare faciet Sacrificium*, nimirum poſt Sacrificium

cium vere propitiatorium. En autem Apoſtoli doctrina. *Vmbram enim habens* ( cap. 10 ) *Lex futurarum bonorum non ipſam imaginem rerum, per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas afferunt indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere; alioquin ceſſaſſent offerri; ideo quod nullam haberent ultra conſcientiam peccati cultores ſemel mundati: ſed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit. Impoſſibile eſt enim ſanguine taurorum auferri peccata.* Siquidem ( Cap. 9. 9. ) *Munera & hoſtias offeruntur, quae non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſervscutem.* Et ( Cap. 10 11. ) *Omnis quidem Sacerdos praeſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſaepe afferens hoſtias, quae nunquam poſſunt auferre peccata.* Quamvis igitur, & nos contendamus tum vetuſtiorum hominum, tum Hebraeorum *fidem in ſacrificiis offerendis, eum reſpexiſſe quem praeſtolabantur*; fateri tamen cogimur veterum Sacrificia, quamvis & ex divina inſtitutione fide in Chriſtum venturum carere non potuerint, perfecte tamen expiari peccata nan potuiſſe. Nos vero contra *ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel*... VNA ENIM OBLATIONE CONSVMMAVIT IN AETERNVM SANCTIFICATOS.... nam *ubi horum* ( peccatorum ) *remiſſio, iam non eſt oblatio pro peccato*. Quamobrem cum Chriſtus immolatione ſua peccati remiſſionem ad perfectum adduxerit, eodem immolato Deus ceſſare fecit ſacrificium, eum quippe Deus *miſit propitiationem pro peccatis noſtris* ( 1. Io 4. 10. ). Vnde *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum* [ aeternae ſcilicet vitae ]... *per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancto aeterno redemptione inventa* (Heb. 9 11.). Iure ergo poſtquam advertit ibidem Apoſtolus Pontificem ſemel in anno ingredi conſueviſſe interius Tabernaculum in ſanguine alieno, quem offerebat, inquit: ( v. 8. ) *hoc ſignificante Spiritu Sancto, nondum propalatam eſſe Sanctorum viam adhuc priore Tabernaculo habente ſtatum*.

5. Hinc itaque intelligimus, cuc poſtea quam Chriſtus emiſit Spiritum, *Velum Templi ſciſſum eſt* ( Matt. 27. 51. ), illud nempe velamentum, poſt quod erat Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum ( Hebr. 9 1. 2. ): Tunc ſiquidem divinitus deſtructa ſunt terrena illa, & manu facta Sancta, quae ſolus Pontifex ſemel in anno ingrediebatur in ſanguine alieno ad peccatorum commemorationem; Poſtea quam enim Chriſtus *ſemel in conſum-*

*ma-*

*matione ſeculorum ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit* ( Hebr. 9. 26. ) verera ſacrificia plane ceſſare debuerunt.

6. Quamobrem Paulus ( Act. 13. 38. ) Hebraeis Antiochiae Piſidiae, inquit: *Per hunc vobis remiſſio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuiſtis in Lege Moyſi iuſtificari*. Et Romanis ( 3. 24. ) ſcribit: *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per Redemptionem, quae eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem per Fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiae ſuae, propter remiſſionem praecedentium delictorum*. Ac Petrus etiam Iudaeis ad Chriſtum converſis ſcribens ait ( Ep. 1. c. 1. v. 18 ): *Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternae traditionis; ſed pretioſo ſanguine, quaſi Agni immaculati Chriſti, & incontaminati*. Siquid enim fuit, a quo Iudaei non potuerunt in Lege Moyſi iuſtificari, quamvis Fide in Chriſtum venturum praediti: ſi Deus propoſuit Chriſtum Ieſum propitiationem propter remiſſionem praecedentium delictorum: ſi Iudaei redempti ſunt de vana converſatione paternae traditionis pretioſo Chriſti ſanguine; ante Chriſtum ſane non erant perfecte iuſtificati; nec conſummata erat peccati remiſſio; & aliqua adhuc ratione redimi indiguerunt. Et ſi vana fuit converſatio paternae traditionis; ad Iudaeos profecto afferre non potuit fructum omnium maximum, aeternam nempe Dei fruitionem. Merito itaque illud etiam dixit Paulus ( Hebr. 7. 18. ): *Reprobatio quidem fit praecedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit Lex*.

7. Neceſſarium equidem non eſſe cenſeo, me hac in re fuſiorem eſſe; cum, quae hactenus attuli, rei demonſtrandae abunde ſufficere confidam. Si vero omnia, quae meis in Praelectionibus tradidi, multoque magis, quaecumque ex Bibliis N.T. urgeri poſſunt, afferenda cenſerem, Commentarium potius, in Epiſtolas praeſertim Divi Pauli, & Catholicas edere deberem; quam breviuſculam Diſſertationem. Ab aliis itaque omnibus nunc mihi ipſe temperabo.

8. Breviter potius exponam rationem ſufficientem, cur Antechriſtianis peccata remiſſa dici poſſint, curque non remiſſa. Auctor enim *Praefationis* Operis *D. Auguſtini*, *quae videtur ſententia* &c. paſtea quam *Num.* 14. attulit Pougeti doctrinam ab hacte-

ctenus tradita non alienam re ipſa, inquit: *Doctrina haec tenuitati meae ita ſonat, ut remiſſa ſimul, & non remiſſa Antiquorum peccata cogar ſuſpicari.* Quoniam itaque in Scripturis Fidem ad iuſtitiam reputatam eſſe Antechriſtianis legimus, ſimulque eos non potuiſſe ab omnibus in Lege Moyſi iuſtificati: idcirco arbitror ſaltem illud intelligendum eſſe, Sacris in Scripturis remiſſionem peccatorum dici, non modo ſolutionem a reatu culpae, & debito poenae aeternae; ſed etiam abſolutionem a debito, quo homo, poſtea quam a peccati reatu ſalutus eſt, adhuc tamen obligatus remanet. Catholicae enim Fidei dogma eſt, hominem, cui peccata remittuntur, non ſemper ab alio quovis debito ſolvi, ſtatim atque a culpae, & poenae aeternae debito abſolutus ſuit. Debitum vero, quod ablato peccati reatu, deletoque poenae aeternae debito, remanet, eſt debitum ſatisfactionis Deo exhibendae, quo ſiquis obſtrictus moriatur, Deo frui non poteſt, donec ſatis patiendo debitum illud ſolvat. Porro ſatisfactionem Deo ob peccatum exhibendam duplicis generis eſſe, eadem Catholica Fides docet; aliam enim (cui exhibendae impar eſt quaelibet creatura, cum condignam eam eſſe oporteat) charitate ſua in ſe ſuſcepit Mediator Dei & hominum Ieſus Chriſtus D. N.; alia vero a peccatore ipſo exhibenda eſt. Homines itaque a reatu culpae, & poenae aeternae debito ſoluti, duas in claſſes tribuendi ſunt; in eos nimirum, qui ante Chriſtum fuerunt; & in eos, qui poſt Chriſtum. Qui poſt Chriſtum ſumus, quoniam eo tempore iuſtificati ſumus, quo ab hominum Redemptore tantum factum fuit, quantum irato Deo ſatis eſſet ad vindictam peccati; in hoc enim ſatisfactionis ratio ſita eſt: propterea ſtatim atque gratia Dei ſoluti ſumus a reatu culpae, & poenae aeternae debito, aliud nihil pro peccatis nobis luendum eſt, quam quod hominis cuiuſque ſatisfactionis debito reſpondeat; niſi vel abundantia charitatis, vel ſacramenti vi ab hoc etiam debito abſoluti fuerimus. At vero de Antechriſtianis dum loquimur, ii duplici veluti obligabantur ſatisfactionis debito; quorum alterum reliquiis ſcelerum uniuſcuiuſque, ſiquae eſſent, reſponderet; alterum vero omnibus commune eſſet, ſitum nempe in condignae illius ſatisfactionis debito, quod in ſe Mediator ſuſceperat. Quamdiu ergo Mediator iſte Deo non ſatisfecit, tamdiu Iuſti perfectam peccati remiſſionem

conſequi non potuerunt; adeoque nec ad Regnum Coelorum pervenire, licet nullo debito, quod ab iis ſolvi oporteret, ab eodem regno arcerentur. Siquidem veteribus Sacrificiis, etſi Fidei in Chriſtum venturum copulatis tantum fieri non poterat, quantum irato Deo ſatis eſſet ad peccatorum vindictam. Oportuit igitur Antechriſtianos Chriſti ſatisfactionem expectare ad perfectam peccati remiſſionem, Regnique Coelorum poſſeſſionem obtinendam. Optime hinc itaque intelligitur, cur Paulus (Heb. 7. 11.) dixerit; ſeu potius, quae expoſita ſunt, certam doctrinam eſſe intelliguntur, quod Paulus dixerit: *Si ergo conſummatio per Sacerdotium Leviticum erat (populus enim ſub ipſo Legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedec, alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundum Aaron?* Conſummatio enim peccati nonniſi ex Chriſti immolatione eſſe debuit; adeoque non per ſacrificia Levitica, conditione quavis affecta; ſed ſecundum ordinem Melchiſedec.

9. Egit his de rebus ſapientiſſime, ut eius ſemper mos fuit, etiam Divus Thomas (3. Part. Q. 49. Q. 52. & Q. 70 art. 4.), eiuſque non nulla verba, licet obtruncata, & ſus deque verſa, attulit, & Auctor Operis *D. Auguſtini, quae videtur ſententia* &c. (cap. IX. n. 9.) verum putavit, ea ad Orthodoxam doctrinam, & Fidei dogmata, non pertinere, ſed ſolum Scholaſticorum placitis contineri: adeoque his praeſetendam eſſe decrevit, quae ipſi viſa eſt Divi Auguſtini ſententia. Verum nec Auguſtini ſententia eſt doctrina adeptionis Regni Coelorum ante Chriſtum, ut in Praefatione demonſtravi, nec ſuperior doctrina Scholaſticorum tantum placitis continetur, ſed Catholicae Eccleſiae definitionibus innititur. Siquidem Innocentius III. cap. *Maiores* (Decr. L. 3. Tit. 42.) haec definivit: *Caute tamen notandum eſt, quantum plus Baptiſmus hodie conferat Chriſtianis, quam quondam Iudaeis Circumciſio contuliſſet... Quoniam etſi originalis culpa remittebatur per Circumciſionis myſterium, & damnationis periculum vitabatur; non tamen perveniebatur ad Regnum Coelorum, quod uſque ad mortem Chriſti fuit omnibus obſeratum: ſed per ſacramentum Baptiſmi, Chriſti ſanguine rubricati, culpa remittitur, vitatur periculum, & ad Regnum Coelorum pervenitur, cuius ianuam Chriſti ſanguis fidelibus ſuis miſericorditer reſeravit.* Confer & Tridentini Decretum *De Peccato Originali* (Can. Si quis hoc Adae, ſeſſ. V.). Agnoſcat

igi-

igitur tandem Auctor Epiſtolae I. ad Cl. Mamachinm, Theologos, praeſertim a Divi Dominici familia, qui hactenus aut deteſtati ſunt, aut etiam conſutarunt doctrinam adeptionis Regni Coelorum ante Chriſtum, non id feciſſe partium ſtudio, ſed Orthodoxae doctrinae zelo: adeoque ſibi illud excidiſſe (ibid.n.67): „ perchè S. Tommaſo non può ſu queſto punto conciliarſi con „ S. Agoſtino, ſi ſuoni a battaglia contro: „ revera enim Divi Auguſtinus & Thomas tum mutuo conſentientes ſunt, tum ambo eamdam immutabilem Eccleſiae Doctrinam tradiderunt, quae duobus his verbis QUAE VIDETUR labefactari nan poteſt: neque eoim obſcura quaedam alicnius Patris verba ſtatim *facti* quaeſtiooem, multoque minus *iuris* dirimere poſſunt.

## §. I V.

1. PRaecedenti affine eſt argomentum illud, quod petitur ex adoptione filiorum Dei, quam in primi parentis praevaricatione homines amiſerunt; haec enim adoptio Iuſtis hominibus reſtitura nunqaam fuit, niſi a Chriſto ipſo cum in carne apparuit. Tridentinum autem (ſeſſ. 6 cap. 4. de iuſtif.) ad perfectam iuſtificationem neceſſariam eſſe, & translationem in ſtatum gratiae, & in ſtatum adoptionis Filiorum Dei perſpicue declarat inquiens: *Iuſtificationis impii deſcriptio inſinuatur, ut ſit translatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adae, in ſtatum gratiae, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum Salvatorem noſtrum*. Videndum itaque nnnc, an facta translatione impii in ſtatum gratiae, ſuapte natura ſemner ſequuta ſit, & translatio in ſtatum adoptionis filiorum Dei: ſive an Iuſtis Antechriſtianis utrumque contigerit ob ſolam fidem venturi Liberatoris.

2. Sacrarum porro Scripturarum, & Eccleſiae doctrina aſt poſt hominum Redemptionem alteram ſine altera contingere non poſſe: At vero dum loquimur de iuſtificatione impiorum, qui Chriſto praeextiterunt, & ante quam ipſe adveniret hominum Redemptor, peccatorum remiſſionem conſequuti ſunt, earumdem Scriptorarum doctrina eſt, ne dum duo illa ſeiungi poſſe; ſed immo debere. Ea ſiquidem docent Sacrae Scriptorae, ex quibus intelligatur, impios illos in ſtatum gratiae propter fidem

in

in Chriſtum venturum translatos quidem eſſe; at in ſtatum adoptionis filiorum Dei nonniſi a Chriſto ipſo translatos fuiſſe. Si ergo Iuſti Antechriſtiani adoptionem filiorum Dei non receperunt; profecto nec coeleſtem haereditatem conſequi potuerunt, & Deo frui, priuſquam a Deo in Chriſto ut filii adoptarentur, & Chriſti eiuſdem merito in primae conditionis ſtatum reſtituerentur. Argumentum ergo ex hac adoptione petitum, validiſſimum eſſe dignoſcitur.

3. Doctrinae huius demonſtrationem aggredior ex eodem Concilio Tridentino (ibid. cap. 2.) *Factum eſt*, inquit, *ut coeleſtis Pater, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, Chriſtum Ieſum Filium ſuum, & ante legem, & legis tempore multis Sanctis Patribus declaratum, ac promiſſum, cum venit beata illa plenitudo temporis ad homines miſerit, ut & Iudaeos, qui ſub lege erant redimeret, & gentes, quae non ſectabantur iuſtitiam, iuſtitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent.* Chriſtus igitur miſſus eſt a Patre, non ſolum ut Iudaeos, qui ſub lege erant, redimeret; & gentes iuſtitiam apprehenderent: ſed etiam ut *omnes adoptionem filiorum reciperent*. Quemadmodum ergo Iudaei Antechriſtiani, licet a criminum reatu propter fidem in Chriſtum venturum ſoluti fuiſſent, indiguerunt tamen, ut a Chriſto redimerentur ad perfectam peccatorum ſuorum expiationem conſequendam, quemadmodum §. III. demonſtratum eſt: ita profecto ſine Chriſto adoptionem Filiorum Dei, qua ab Adae uſque praevaricatione ſpoliati permanſerant, recuperare non potuerunt.

4. Perſpicuum vero eſt Tridentinos Patres hic reſpicere iſtud Pauli (Gal. 4. 4.): *At ubi venit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem eſtis filii, miſit Deus Spiritum Filii ſui clamantem: Abba, Pater. Itaque iam non eſt ſervus, ſed filius; quod ſi filius, & haeres per Deum.* Vt autem huius teſtimonii vis melius adhuc dignoſcatur, componere illud praeſtat cum iſtis eiuſdem Pauli verbis: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater: ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus Filii Dei; ſi autem filii, & haeredes, hae-*



Google

*redes quidem Dei , cohaeredes autem Chriſti* ( Rom. 8. 15 ). Perſpicuum porro eſt his in locis Paulum conferre Vetus cum Novo Teſtamento, ſed qui ad illud Teſtamentum pertinuere, per Paulum ſervi reputati ſunt, cum accepiſſent ſpiritum ſervitutis in timore ; nondum igitur in filios Dei adoptati fuerant. At vero ubi venit plenitudo temporis, tum demum ad Iudaeos, qui antea ut ſervi tantummodo reputati fuerant, adoptionem filiorum detulit Chriſtus; tumque promulgatum eſt illud : *Si autem filii , & haeredes ; haeredes quidem Dei , cohaeredes autem Chriſti* ; itemque iſtud : *quod ſi filius , & haeres per Deum*.

5. Ob idipſum inquit Paulus ( Gal. 4. 22.) *Abraham duos filios habuit ; unum de ancilla , & unum de libera ... quae ſunt per allegoriam dicta . Haec enim ſunt duo Teſtamenta ; unum quidem in Monte Sina , in ſervitutem generans ..... & ſervit cum filiis ſuis* . Poſtulo enim , putet ne aliquis a Veteri Teſtamento Fidem in Chriſtum venturum abfuiſſe . Arbitror equidem daturum quemlibet ex Dei conſilio Veteri Teſtamento copulatam eſſe debuiſſe Fidem in Chriſtum, quem miſſurus erat: ſed nihilominus Vetus illud Teſtamentum in ſervitutem genuit ; quamdiu igitur Veteri Novum non ſucceſſit Teſtamentum , tamdiu eius temporis Iuſti , etſi fide in Chriſtum venturum exornati eſſent, ad ſervitutem tamen pertinuerunt , non ad adoptionem filiorum Dei . Et quamvis tempore illo , qui Iuſti facti ſunt , *Dilecti , amici , & Deo digni* ſint appellati , & Novi Teſtamenti haeredes in occulto Dei conſilio deputati eſſent : attamen *quanto tempore haeres parvulus eſt , nihil differt a ſervo , cum ſit Dominus omnium ; ſed ſub tutoribus , & actoribus eſt uſque ad praefinitum tempus a Patre* ( Gal. 4. 1.) Omnes itaque Iuſti Antechriſtiani , *priuſquam veniret Fides ſub lege cuſtodiebantur concluſi in eam Fidem , quae revelanda erat . Itaque lex Paedagogus* eorum *fuit in Chriſto , ut ex Fide iuſtificarentur* (Gal. 3. 23 ). Quod ſi id Iuſtis omnibus contigit a legis promulgatione ad Chriſtum , idem etiam contigerit oportet omnibus Iuſtis ab Abel ad legis promulgationem . Contra vero *ubi venit Fides , iam non fuerunt ſub Paedagogo ; omnes enim filii facti fuerunt per Fidem , quae eſt in Chriſto Ieſu* ( ibid. 25. ) τέλος γὰρ νόμου Χριστός. *Finis enim legis Chriſtus* ( Rom. 10. 4 ) h. e. *perfectio , & conſummatio legis* . Vnde & illud Pauli ( ibid. 15. 8. ) *dico enim Chriſtum Ieſum Miniſtrum fuiſſe*

Cir-

*Circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum* : h. a. *ad praeſtandas promiſſiones* iamdiu iisdem factas ; aſt ſiquidem *promiſſiones praeſtare* , tam τὸ βεβαιῶσαι τὰς ἐπαγγελίας Graeci Textus, quam *confirmare promiſſiones* Vulgatae Verſionis .

6. Optima itaque & Auguſtinus ( *Expoſit. Ep. Galat.* ) inquit : „ ut adoptionem filiorum recipiamus „ ... *Nec dixit* accipiamus , *ſed* recipiamus , *ut ſignificaret hoc nos amiſiſſe in Adam* , *ex quo mortales ſumus* . *Hoc ergo quod ait* „ ut eos , qui ſub lege erant „ redimeret , *& ad liberandum eum populum pertinet* , *qui parvulus ſub paedagogo ſerviebat* ; *& refertur ad id* , *quod dixit* „ Factum ſub lege „ . *Illud autem* , *quod ait* : „ ut adoptionem „ recipiamus „ *refertur ad id* , *quod dixit* : „ Factum ex muliere „ . *Hinc enim adoptionem recipimus* , *quod ille Unicus non dedignatus eſt participationem naturae noſtrae* , *factus ex muliere* ; *ut non ſolum Unigenitus eſſet* , *ubi fratres non habet* ; *ſed etiam* Primogenitus in multis fratribus *fieret* . Agnoſcit ergo & Auguſtinus , Iuſtos omnes , quotquot ſub Veteri Teſtamento fuere , tamdiu ſervos reputatos eſſe , quamdiu in Chriſto adoptionem filiorum non recepere : illudque etiam ſapienter animadvertit Auguſtinus , dictum fuiſſe ab Apoſtolo non *accipiamus* , ſed *recipiamus* ; revera enim Graeco in Textu legitur : ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν, ſcilicet , *ut adoptionem filiorum recuperemus* ; eſt quippe ἀπολαμβάνω etiam *recupero* .

7. Itaque & Ioannes Evangeliſta meam ad rem aptiſſime exclamat inquiens : *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater* , *ut Filii Dei nominemur* , *& ſimus* ... *Cariſſimi* NUNC *Filii Dei ſumus* ( 1.10. 3 ) . Si enim Iudaei , cum ob fidem in Chriſtum venturum a criminum reatu ſoluti fuerunt , TUNC adoptati etiam fuiſſent ut Filii Dei , profecto non diceret Ioannes : *Cariſſimi* NUNC , *filii Dei ſumus* . Iudaei ergo , quamvis ante Chriſtum in ſtatum gratiae ob fidem in Ipſum venturum divina miſeratione tranſlati fuiſſent ; TUNC tamen in ſtatum adoptionis filiorum Dei tranſlati non fuerunt .

8. Utique ait Paulus ( Heb. 2. 11. ) : *Qui enim ſanctificat* , *& qui ſanctificantur ex uno omnes* : *propter quam cauſſam non confunditur fratres eos vocare* , *dicens* : „ nuntiabo nomen tuum fratribus meis . „ Verum confici nunquam hinc poteſt , Iuſtos ante

te Chriſtum adoptionem filiorum Dei recepiſse; eſt enim Davidis vaticinium, a Paulo allatum de eo, quod futurum eſſet Chriſto adveniente, non hiſtoria rei, quae confecta eſſet prius, quam Ipſe adveniret.

9. Certe inquit etiam Paulus (Rom. 9. 3.): *Optabam ego anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitae, quorum adoptio eſt Filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium, & promiſſa*. Novi equidem & iſtud; Novi etiam in Epiſtola Dedicatoria Operis *D. Auguſtini*, *quoa videtur ſententia* &c. ſcripta haec fuiſse: „ Quapropter qui de antiquis ſermonem inſtituit, „ niſi prudentem cautelam diligenter adhibeat in privilegiis con„ templandis populi illius, profecto periclitatur diverſam a ve„ ritate ſententiam veluti ex Scripturis Sanctis efferre, illum„ que vere dilectum Dei populum, *apud quem erat adoptio fi„ liorum, & gloria, & teſtamentum*, ut omnium infantium in„ dicat ſanctificatio per ſacramenta pro temporum diverſitate „ diverſa, apud quem populum radix erat oleae, in qua gen„ tium oleaſter miſeratione divina inſertus eſt: periclitatur, in„ quam, populum illum talem exhibere oculis Chriſtianorum, „ ut ſaepe nullam prae ſe ferat imaginem populi a Deo ſegre„ gati, Eccleſiam militantem conſtituentis, & ad veritatem „ ſpecialibus inſtitutis eruditi. „

10. At revera non periclitantur Scripturae, non periclitatur Eccleſiae doctrina, ut quiſquam illi de ſua argumentatione ſuccurrat. Profitetur & Orthodoxa Eccleſiae doctrina Iſraelitarum fuiſse *adoptionem filiorum*, *gloriam*, *teſtamentum*, *legislationem*, *obſequium*, *promiſſa*: ſed non ita hallucinatur Chriſti Eccleſia, ut contra Scripturarum doctrinam credat, quemadmodum *Vetus Teſtamentum*, & *Legislatio*, & *obſequium*, & *promiſſa* Iſraelitarum fuerunt ante Chriſtum; ita ante Chriſtum eorumdem fuiſſe, & *Novum Teſtamentum*, & *adoptionem filiorum*, & *gloriam*: illa enim Iſraelitis ante Chriſtum adfuiſſe a Spiritu Dei accepit; haec vero tum demum tantummodo iiſdem adfutura fuiſse, cum ad illos Chriſtus ipſe deferret, ab eodem Dei Spiritu edocta eſt. Quamobrem agnovit ſemper, & amantiſſime complexa eſt Eccleſia *filios promiſſionis* (Rom. 9. 8. Gal. 4. 28.): & *pollicitationis haeredes* (Heb. 6. 17.) a ſeipſa numquam alienos indicavit: ſed

novit

novit, *promiſſionem ex Fide Ieſu Chriſti datam eſſe credentibus* ( Gal. 3. 22. ) hoc eſt a Chriſto iam miſſo & immolato, non venturo; nec putavit unquam ſuos haereditatem conſequi poſse ante mortem Teſtatoris; unde adoptionem & haereditatis poſseſſionem ad fideles ſuos perveniſse agnoſcit ob pretioſam illam mortem, *quae interceſſit in redemptionem earum praevaricationum, quae erant ſub priori Teſtamento, ut repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt aeternae haereditatis: ubi enim Teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt, intercedat Teſtatoris; Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt; alioquin nondum valet, quamdiu vivit, qui teſtatus eſt* ( Heb. 9. ). In Chriſto igitur tantum, qui filii promiſſionis antea fuerant, *Spiritum adoptionis filiorum* acceperunt, ut tandem fierent *ſecundum promiſſionem haeredes* ( Gal. 3. 29. ): ob id enim Chriſtus *deglutivit mortem, ut vitae aeternae haeredes efficerentur* Iudaei, quibus haec ſcripſit Petrus ( Ep. 1. c. 3. 22. ), & quotquot in Chriſto aut iuſtificati, aut iuſtificandi eſsent. *Si enim qui ex lege, haeredes ſunt; exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio* ( Rom. 4. 14. ). Et: *Si ex lege haereditas, iam non amplius ex promiſsione* ( Gal. 3. 18. ), hoc eſt, ſi haereditas ex Fide venturi Chriſti, non amplius ex Chriſto ipſo, qui fuit promiſſio Patribus facta. Quamvis igitur Legis obſervatio, ut fructifera eſſet, Fide in Chriſtum carere non potuerit; hinc tamen ſi fuit adoptio, & haereditas, *exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio*. Iure itaque ait Apoſtolus ( Eph. 1. 2. 3. ): *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti ... qui praedeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum*. non ſolum enim adoptantur Iuſti in filios *per Ieſum Chriſtum*; ſed etiam *in ipſum* adoptantur. Merito itaque Auguſtinus ( Haer. 88. ) Pelagianos ob id etiam haereticos eſse declarat, quod: *Hi Dei gratiae, qua praedeſtinati ſumus in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum ... inimici ſunt*. Intelligimus ergo cur Paulus poſteaquam ( Heb. 11. ) recenſuit, extulitque Maiorum fere omnium fidem, concludat: *& hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur*.

11. Non igitur quiſquam in *infantium ſanctificatione per Sacramenta pro temporum diverſitate diverſa* Catholicis Doctoribus obtrudere ſe poſse putet, eandem fuiſse ſanctificationis perfectionem,

nem, & ante, & poſt Chriſtum. Iuſtis enim Antechriſtianis promiſsa quidem fuerat adoptio in Chriſto; in Chriſto igitur tantum collata. Quare cum *tranſlatio in ſtatum adoptionis filiorum Dei* pertineat ad iuſtificationis perfectionem: idcirco Iuſti, qui ante Chriſtum fuerunt, ſanctificationis perfectionem conſequuti non ſunt, niſi cum ipſum Opus Redemptionis humanae conſummatum eſt. Et ſane quis ſibi perſuadeat, efficaciorem fuiſse fidem *operis operandi*, fide *operis operati?* Niſi ergo Chriſtus Iuſtis in ſinu Abrahae *paſſionis ſuae fructum impertiiſſet*, numquam ipſi ad contemplationem Divini Vultus pervenire potuiſsent.

12 Neque dixerit aliquis *Exodi* 4. 22. legi: *Dicit Dominus: Filius meus primogenitus Iſrael. Dixi tibi: Dimitte filium meum, ut ſerviat mihi*: adeoque cum dicit Paulus *quorum eſt adoptio filiorum*, loqui de adoptione ante Chriſtum a Iuſtis recepta. Siquidem Exodi locus non eſt de filiatione illa, de qua loquimur. Adoptio, de qua loquimur, Iuſtum unumquemque afficit, & unicuique adoptato ius ad Regnum Coelorum reſtituit, nec ſine ſtatu gratiae adoptio haec eſse poteſt. Iſrael vero dictus eſt a Domino primogenitus, & filius *collective*, ut inquiunt, quatenus nimirum Populus Iſrael inter omnes hominum familias electus fuerat a Domino veluti peculiaris Dei populus, cui crederentur Eloquia Dei: ac propterea populus iſte, quamvis multos praevaricatores intra ſe ipſum haberet, non tamen ceſsabat eſse Populus Dei, *primogenitus Iſrael*, *filius Dei*: ea nempe ratione, qua etiam poſt novum foedus licet plurimi fidelium ſceleribus ſuis adoptionis in filios Dei iacturam faciant; ad Eccleſiam tamen Dei pertinent, eiuſque membra ſunt. Haec porro *filiatio* non eſt adoptio illa, quae ius ad haereditatem coeleſtem, in Adam amiſsum reſtituat, ut quiſque intelligit. Si quis ergo velit Paulum (Rom. 9. 3) de hac adoptione locutum eſse, non repugnabimus: in hoc enim ſenſu & nos adoptionem Iſraelitarum admittimus. At adoptionem uniuſcuiuſque Iuſti in Filium Dei ante Chriſtum iis verbis a Paulo traditam fuiſse, ne admittamus, omnia illa, quae hactenus attulimus, inſuperabiliter obſtant.

## §. V.

1. ATtingenda nunc vera expoſitio locorum quorumdam Novi Teſtamenti, in quibus inſuperabile praeſidium ſibi collocatum putarunt, qui diverſa ſenſerunt; quae enim ex Veteri Teſtamento protulerunt, eum Pelagianiſmum Manichaeiſmo non refutemus, peculiari ulla ſolutione non indigent. Illius itaque generis in primis eſt Lazari Parabola ( Luc. 16 ), ad quam veluti ad arcem munitiſſimam, quoties hoſtes vident, confugiunt. Sed quid tandem ibi legimus, niſi ( ℣. 25. ): *nunc autem hic conſolatur?* Ergone alia nulla quovis in caſu eſſe poteſt mortuorum conſolatio, quam aeterna Dei fruitio? Infinitae immo aliae interiacent Dei fruitionem, damnatorumque cruciatus.

2. At inquit Auctor Epiſtolae Ephemeridum Florentinarum: „ pare diſpoſto il P. Lettore a dare a' giuſti antichi defunti … „ una beatitudine ſenza vedere Dio … la qual coſa alla debo- „ lezza mia è ſempre paruta aſſurda ( col. 139. ). „ Sed etſi, quod ſentio, antea non evulgavi; ſi tamen meam cupit noſcere ſententiam, nunc ſciat eam eſſe, quam a Catechiſmo Romano didici, nimirum, *beata redemptionis ſpe ſuſtentati, quieta habitatione fruebantur*. Et quamvis inde etiam didicerim, Chriſtum Dominum in ſinum Abrahae deſcendiſſe, *ut Sanctos & Iuſtos homines ex miſera illius cuſtodiae moleſtia liberaret*; in his tamen componendis nullam equidem unqnam reperi difficultatem, multoque minus abſurditatem: novi quippe, cur ſpes, & inter bona, & inter moleſtias ſimul connumeretur. Immo ex Auguſtino illud etiam novi, eamdem Dei Viſionem minorem efficere beatitatem, ſi infinita eius duratio ignoretur, quam ſi creata mens de eius aeternitate certa ſit; inſuperque componi cum ea poſſe miſeriam ex eodem Auguſtino didici, ſi viſionis eius amiſſio praenoſceretur. Inquit enim ( Corr. Gen. c. 10 ): *Diabolus, & Angeli eius, & ſi beati erant, ante quam caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant; erat tamen, quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummae beatitudinis plenitudinem tamquam praemium ipſius permanſionis acciperent; ideſt, ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius omnino non poſſent*,

&

*& hoc de ſe certiſſime noſſent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant; ſed quia neſciebant ſuam futuram miſeriam, minori quidem, ſed tamen beatitudine ſine ulla vitio fruebantur. Nam ſi ſuum caſum futurum noſſent, aeternumque ſupplicium, beati utique eſſe non poſſent, quos huius tanti mali metus iam tunc miſeros eſſe compelleret.* Ex his ergo intelligitur, de aeterna immutabili beatitate tantummodo verum eſſe, quod ab Auguſtino dictum eſt: *Ipſa eſt vita beata, gaudere ad Te, de Te, propter Te: ipſa eſt, & non altera* (Conf. lib. 10. c. 22.): aliaque ſimilia.

3. Tueri etiam ſeipſos nituntur his Pauli verbis: *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.* (Hebr. 2. 10.)

4. Sed cum Graeco in Textu legatur: πολλοὺς υἱοὺς εἰς δόξαν ἀγαγόντα, dicendum plane, vel aoriſticam participii vocem ἀγαγόντα ſumendam eſſe ut participium praeſentis temporis *adducentem*; vel ſi de tempore praeterito cum Vulgato Interprete vertatur, *gloria* ea intelligenda non eſt, quae perfectam aeternamque conſtituat Iuſtorum beatitatem, ſcilicet ob Dei viſionem iam ante Chriſtum ab Antiquis Iuſtis adeptam. Etenim Pauli verba ſunt de gloria *Filiorum Dei*; ſed homines lapſi *adoptionem Filiorum Dei* in Chriſto tantum receperunt (§. *praecedenti*); quamvis fide in Ipſum venturum iuſtificati fuiſſent: ad aeternam igitur gloriam nonniſi poſt Chriſtum adducti ſunt. Si quis itaque in Pauli verbis *gloriae* collationem ante Chriſtum intelligere velit; aeternam Iuſtorum gloriam intelligere nunquam poterit. At quaenam, inquies, erit Pauli mens iis in verbis? Dicam equidem, quod mihi perſuaſum plane eſt, quia ita eſſe video. *Qui multos filios in gloriam adduxerat*, h. e. *qui multos filios in gloriam praedeſtinaverat*; ſeu quod idem eſt: *multos filios in gloriam praedeſtinantem*. Etenim *ſubiectum* propoſitionis Pauli eſt: *Is propter quem omnia, & per quem omnia, multos filios in gloriam ἀγαγών*; ſed *Is propter quem omnia, & per quem omnia* eſt Divinum Verbum quatenus Deus eſt, ut & lubentes fatentur (Nov. Litt. col. 119.), & perſpicuum eſt, & in meo Spicilegio demonſtravi (*Num. V.*): igitur & *multos filios in gloriam ἀγαγών* eſt Idem Divinum Verbum, quatenus Deus eſt. Sed Divinum

Verbum, quatenus tantummodo Deus eſt, praedeſtinavit homines in gloriam futuram, ob ſui ipſius immolationem in tempore futuram, & poſt conſummationem iuſtificandis hominibus perfecte applicandam; propoſitionis igitur Pauli ſenſus germanus eſt de praedeſtinatione hominum ad gloriam, non de collatione gloriae aeternae ante Chriſtum; adeoque ſive ἀγαγόντα vertatur *adducentem*, ſive *qui adduxerat*, aut ſi malueris *adducturum*, nihil ſententiae deperit; cum aeternitas, licet duratio ſemper praeſens ſit, humanis loquendi rationibus, & praeterito, & praeſenti, & futuro tempori alligetur.

5. Quamobrem quod inquit Auctor citatae Epiſtolae (col. 138), Vulgatam Verſionem, quae tanto labore adornata eſt, tantaeque eſt in Eccleſia auctoritatis, retinuiſſe *adduxerat*, prorſus iam exſufflatum eſt. Quae vero mihi obiicit de uſu Textuum, ab iis, arbitror, abſtinuiſſet, ſi me Auditoribus meis praelegentem audiſſet. Noviſſet enim me non ſolum conari, eorum animis altius inſculpere, Vulgatam Verſionem ſine Textuum notitia perfecte intelligi non poſſe, ſicut & ab aliis didici, & pluries expertus ſum: ſed conari etiam iiſdem oſtendere, ipſum aliquando Textum, Novi praeſertim Teſtamenti, nonniſi ex Vulgata Verſione certo intelligi poſſe, quia eum Graecae loquendi rationes, aut iis in Libris unice accidant, aut diverſis admodum rationibus a Graecis Scriptoribus uſurpentur; aliquando propterea definiri non poteſt germana Sacri Textus notio, niſi ea Verſione, quae nobis tradita fuerit a temporibus uſque Apoſtolorum, qui rebus interfuerant; quemadmodum nonniſi experientia duce me didiciſſe memini.

6. Divi autem Ioannis Chryſoſtomi Latinam Verſionem, quam affert Auctor idem (col. 137.) ex Homilia IV. in Epiſtolam ad Hebraeos, non eſt niſi Latini, neſcio cuius Interpretis verſio verborum Pauli, quae eadem in Homilia allata ſunt. Quare ſi verſionibus certandum eſſet, minus certo valeret ipſa, quam Verſio Mutiani Scholaſtici, *Eloquentiſſimi* ſane Interpretis Caſſiodoro teſte; *Docti* autem, *&* *Diligentis* iuxta Savilium, qui vertit: *multos filios inducens in gloriam*. Verum cum Verſionibus res conficienda non ſit, ſed rebus, potius itaque obſervabo ego Divum Ioannem Chryſoſtomum Doctrinam Catholicam, & ipſum ibidem tradidiſſe, dum inquit: διὰ παθημάτων τελειῶσαι· ἄρα τὰ τῶν

ἐφ-

θήματα τελειῶσαι καὶ αἰτία τῆς σωτηρίας. i. e. „ per Paſſiones con„ ſummare : „ *Paſſiones ergo ſunt perfectio , & cauſa ſalutis .*

7. Inveſtigabo nunc tandem vim verborum: *Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi* ( Apoc. 13. 8. ): reliqua enim omnia, quae in 133 Novo Teſtamento difficultatem parere poſſe videntur, ſi haec probe intelligantur, nullam revera difficultatem relinquent. Hic porro verbis nimis pauca quidam ſubiciunt; nimis vero multa alii, ex quibus mea quidem ſententia omnis oritur quaeſtio. Sociniani ergo, quippe qui reſpuunt veram Eccleſiae doctrinam de Chriſti ſatisfactione, & peccatorum remiſſionem in mera Dei condonatione collocant; in occiſione Agni ab origine Mundi agnoſcunt quidem praecognitam Chriſti mortem, ſed nullum inde ad Antechriſtianos derivant emolumentum. Pelagiani vero, qui fatebantur neminem hominum Regno Coelorum potiri poſſe, abſque Redemptione Chriſti, & blaſphemabant Iuſtos antiquos Regni eiuſdem poſſeſſionem adeptos eſſe ante Chriſtum, ab occiſione Agni ab origine Mundi ad Iuſtos illos omnia deducere debuerunt, quaecumque ad nos dimanare novimus ex immolatione Chriſti in ara Crucis. Verum turpiter peccant utrique. Occiſio enim Agni duplici ratione conſideranda eſt; nimirum, & quo ad Deum, & quo ad homines. Cum enim omnia Deo praeſentia ſint; & Agni occiſio Ipſi praeſens eſt; adeoque cum Deus delet Antechriſtianorum peccata ob occiſionem Agni, non gratis condonat, ſed ob meritum Chriſti. At vero quo ad homines longe alia ratio eſt: ut enim homines perfectam peccati remiſſionem conſequi poſſint, oportet omnino, ut hominibus applicetur Chriſti paſſio: quare nonniſi poſtea quam Chriſtus in tempore paſſus eſt, homines participes facti ſunt omnis fructus paſſionis Chriſti. Miſeratione quidem Dei, ne omnes homines, qui ante Chriſtum morerentur, neceſſario perirent, factum eſt, ut fides venturi Chriſti illis prodeſſet ad ſubſtantiam remiſſionis peccatorum; ſed illud indultum non eſt, ut Fides eadem Venturi, tam prodeſſet Antechriſtianis, quam iiſdem poſt Chriſtum, nobiſque prodeſt effuſio iam facta Sanguinis eiuſdem. Hinc factum arbitror, ut Catholici Theologi in diverſas abierint ſententias quoad aeſtimationem fructuum, quos Iuſti antiqui perceperunt ex occiſione Agni ab origine Mundi. Nonnulli enim, ut Chriſtus adveniens eſſet id omne hominibus, quod eſſe poterat, di-

xe-

xerunt Circumciſione, & Sacrificiis veterum, aliiſque huiuſmodi ſignificatam ſolum fuiſſe remiſſionem peccatorum faciendam per Chriſtum. Alii vero diſtinxerunt iuſtitiam intrinſecam ab extrinſeca; illam in remiſsione peccatorum collocantes, hanc ex applicatione Paſsionis Chriſti ortam iudicantes, eique longe praeferentes. Meum non eſt de his iudicium ferre. Quamobrem contentus fui iis demonſtrationibus, ex quibus videmus, Iuſtos antiquos expectare debuiſſe Chriſti ſatisfactionem; nec niſi in Chriſto adoptionem filiorum Dei recuperaſſe, quae ad perfectam peccati remiſsionem, perfectamque iuſtificationem neceſſaria ſunt. Occiſio itaque Agni ab origina Mundi Antechriſtianis ita non profuit, ut Iuſtis poſt Chriſtum huius mors; nimirum ut ita iuſtificari poſſent, ut nihil ipſis deeſſet ad Dei fruitionem.

8. Abs re itaque non erit hic obſervare, etiam LXII. Patres Toletanos anno Ch. 633. *Cap. I.*, quod eſt Fidei Confeſsio, profeſſos eſſe, *Ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Dei filium... deſcendiſſe ultimo tempore pro redemptione Mundi a Patre*; Illudque addidiſſe: *Deſcendit ad Inferos, ut Sanctos, qui ibidem tenebantur, erueret:* his enim verbis, ut apparet, Patres illi profitentur, *Mundum*, hoc eſt omnes homines redemptione adhuc indiguiſſe, licet *Sancti*, & appellarentur, & eſſent, cum Chriſtus in carne apparuit; adeoque a peccati captivitate nondum liberatos plane antea fuiſſe. Ex quo etiam illud agnoſcitur Catechiſmi Romani doctrinam revera ſolis Scholaſticorum placitis adornatam non fuiſse; ſed immo ex vetuſtis Catholicae Fidei Profeſsionibus deſumptam eſse.

## §. VI.

NIſi in illud incidi: *brevis eſſe laboro, obſcurus fio*, demonſtraſſe mihi videor, quam alienum ſit a Scripturarum ſenſu; quam contrarium Eccleſiae Fidei; quam Chriſtianae Religioni perniciosum; quam conſummatae Redemptionis Ieſu Chriſti honori infenſum; quamque Divo Aurelio Auguſtino, ſi id ei velute Auctori tribuatur, probroſum, & contumelioſum, putare, & docere Iuſtos Chriſto praemortuos Regno Coelorum potiri potuiſse, atque ad aeternam contemplationem Divini Vultus pervenire, quin expectare cogerentur conſummatam hominum Re-

demptionem. His igitur contentus addam tantummodo, ſic me Deus amet, ſperare me, & confidere doctrinae huius reſtauratorem complexurum iam tandem Eccleſiae Catholicae doctrinam, a qua inſcius aberraverat, dum ſe Auguſtinum ſequi putavit, & publice demum repudiaturum quaecumque ipſi antea viſa fuerant a Scripturarum, Eccleſiae, & ipſius Auguſtini Fide aliena: ſicut haec eadem publice hactenus ſuſtinuerat, & divulgaverat. Id porro ut futurum fore confidam, haec eius me verba adigunt: „ per altro creda a me (il P. L. Mingarelli), „ che lo farò ſempre con ſincero animo, ſe mi ſarà vedere per „ migliori vie, che io non abbia inteſo bene, nè le Sante „ Scritture adorate da me, nè la moltiplice dottrina di S. A- „ goſtino „ (Nuv. Letter 1769. Num. 10. col. 193.): multoque magis alia haec eiuſdem verba: „ la ſententa è mia, ſe è di S. Agoſtino: „ ma ſe qualcuno potrà provarmi, che ella non è del S. Padre, „ non ſarà più nemmeno mia, e ſono pronto a confeſſare al- „ l' occorrenza la mia per altro incolpabile ignoranza in fac- „ cia di tutto il Mondo „ (Let. 2. al P. M. Mamachi. com. 46.): ſicuti enim novit ipſe, inſcium quemlibet innoxie in errorem labi; ita ſcit neminem ſine Fidei, & ſalutis iactura Scripturarum ſenſui ac definitionibus repugnare poſſe: multoque etiam moleſtius eſſe, ſiquem Eccleſia, & Catholici Doctores veluti haereticum execrentur, & inſectentur; quam ſponte in obſequium Fidei reſpuere haereticam doctrinam illam, quam aliquando inconſulto admiſeris, & evulgaveris.

*LAVS DEO.*

# C E N S V R A.

DOctiſſimi viri Ferdinandi Mingarelli Camaldulenſis Diſſertationem *De Honore conſummatae Redemptionis* &c. diligenter legi, & obſervavi, Cum teſtimoniis Scripturarum, cum Sententiis Patrum, Conciliorumque Decretis illam conſuli; iiſque omnibus conformem inveni, mihique probandam propterea cenſui ſumma cum laude auctoris illius. Loca etiam omnia in Auguſtino ipſo percurri, ubi inquirit Sanctus Doctor de Fide in Chriſtum venturum, qua ſalvi fiebant Iuſti Antechriſtiani. Et licet aliqua perpendendo invenerim, quae viderentur ſtare pro ſententia auctoris a Mingarellio noſtro refutati, niſi ea illuſtraſſet, & explicaſſet Cl. Mamachius; attamen alia plurima eſſe in Auguſtini locis mihi viſum eſt, illudque praeſertim, quod habetur in Epiſtola 140 ad Honoratum de Gratia Novi Teſtamenti, in quibus Auguſtini ſententia mirifice concordat cum illa, quam ratiocinationis uſu diſtincte, eruditionis praeſidiis copioſe, & Scripturarum, Patrum, ac Conciliorum teſtimoniis graviter ſcriptam in hac Mingarelli Diſſertatione invenio, nempe iuſtos veteres adeptos fuiſſe Beatitatem in Spe, non in Re. Moleſte equidem patior, non poſſe me huic orthodoxae ſententiae adhaerere, quin publice improbem opinionem oppoſitam Viri utique Clariſſimi, cum quo ſumma mihi amicitia intercedit, quem magni facio, & cui multum me debere fateor ob benignitatem, qua me Cremonae concionantem pluries audivit. Adfuit quidem etiam, quando in ſermone de Lege Evangelica Moſaicae comparata, explicans illud Auguſtini: *Mutata ſunt Sacramenta... praecepta facta ſunt ſeniora*, verba Sancti Doctoris intellexi eo modo, quo nunc Mingarellius laudatus; & ita intelligenda eſſe eidem mecum poſt concionem loquenti iam tunc manifeſtavi. Siquidem verum nunquam debet latere, nec amicitiae cauſa amplectendam dicam opinionem a Mingarellio optime refutatam, tum quia contraria eſt opinioni tot ſapientum, praeſertimque Divi Thomae, qui Q. 70. Art. 4. ad 5. dixit, *quod per fidem in Chriſtum venturum auferebatur quidem Originale peccatum ex parte perſonae, ſed remanebat impedimentum intrandi in Regnum Coelorum ex parte totius naturae, quod fuit ſublatum per Paſſionem Chriſti*; tum etiam quia abſurdiſſimae ex tali opinione deduci poſſunt conſequentiae, uique vitandae in hac temporum & morum deploranda corruptione.

Florentiae ex Coenobio Divae Annuntiatae die 25. Iunii 1769.

*Fr. Robertus Coſtaguti Ordinis Servorum Mariae,*
*In Sacra Theol. Mag., Studior. Regens, & Prior.*

# PROPOSITIONES

*contra quas ſinguli poſt tertium dicere poſſunt*

## LECTORI CANDIDO

### RAMIRVS BIANCHI

*Lecta inter Ephemerides Litterarias Florentinas huius anni* Num. VIII. *Epiſtola ad P. D. Iſidorum Bianchi aegre admodum tuli, ab eiuſdem Auctore contra ius faſque mecum agi, tamquam cum eo, qui viſus ei fuerit non approbaſſe dogmaticam doctoris ſui ſententiam de fruitione Dei poſt Chriſtum tantummodo Iuſtis ab hominibus obtinendam. Quamobrem quemadmodum ipſe mihi conſcius ſum, quam eiuſmodi abs re animus meus abhorruerit, ita nunc libentiſſime Propoſitionum, quas ſubiicio, Orthodoxiam tueri aggredior, ut luculentiſſimum hoc monumentum ſuperſit, in quo omnes intueri poſſint, quam audenter ea de me ſcripta fuerint. Haec te, Lector Candide, ſcire cupiebam. Vale.*

I. *Divi Aurelii Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, quae* aliquibus *videtur ſententia de Beatitate Sanctorum .... Antiqui Teſtamenti ante Chriſti Domini deſcenſum ad inferos*, eos nimirum perveniſse ad Regnum Coelorum, ſeu Dei facie fruitos eſse, revera Pelagium Haereſiarcham Auctorem habet.

II. Contra vero Auguſtinus *de Geſtis Pelagii* pertractans eamdem haereticam eſse declarat.

III. Quod & Divus Hieronymus adverſus Pelagianos ſcribens perſpicue demonſtrat.

IV. Idemque a Catholicis omnibus ob Eccleſiaſticas definitiones

F ſen-

ſentiendum eſse, ex Proſperi carmine de ingratis clare dignoſcitur.

V. Marius Mercator etiam in ſuo Commonitorio eiuſdem rei teſtis eſt luculentiſsimus.

VI. Quin & ex Dioſpolitana Synodo, licet inde verſutus Pelagius abſolutus abierit, evincitur tamen XIV. eos Patres ſenſiſſe, haereticum eſse, qui dicat, ante Novum Teſtamentum quempiam Regni Coelorum poſseſionem adeptum eſse.

VII. In Biblis vero Novi Teſtamenti plurima ſunt, ex quibus neceſsario intelligendum eſt, neminem hominum ante Chriſtum Deo fruitum eſse.

VIII. In primis enim id evincit felix illa tum Ioannis Baptiſtae, tum Chriſti ipſius annuntiatio: *appropinquavit Regnum Coelorum*.

IX. Tanti autem aeſtimandum eſt iſtod *appropinquavit Regnum Coelorum*, ut in eius valore collocanda ſit potior ſufficiens ratio, cur annuntiatio complementi veterum promiſsionum EVANGELIVM ſit appellata.

X. Inde etiam intelligitur, cur Eccleſia ante Chriſtum tam vehementer poſtulaverit primum Chriſti Adventum, poſtea vero quam Chriſtus in carne apparuit, alterum eiuſdem Adventum ſuis precibus accelerare non amplius ſtuduerit.

XI. Deinde vero & Petri alloquutio ( *Act.* 2. ) ineluctabiliter evincit, neminem hominum, ante Chriſtum in Coelum aſcendiſse, ſive ante conſpectum Dei in Iuſtorum Patria ſtationem obtinuiſse.

XII. Illud etiam ex hac Petri alloquutione omnino inferendum, Orthodoxae Synagogae traditionem fuiſse, Maiores non perveniſse ad Regnum Coelorum.

XIII. Iam vero, & maximi ponderis eſt argumentum deſumptum e peccatorum ſatisfactione Deo a Chriſto oblata. Quamdiu enim Deo pro peccatis hominum Chriſtus non ſatisfecit; tamdiu neque originis, neque cuiuſvis peccatum plane expia-

pia-

tum fuiſſe, *nec Adae debitum ſolutum*, *nec veteris piaculi cautionem deterſam* ex Biblis N. T. certum eſt.

XIV. Illud quoque Iuſtis hominibus deerat, ſine quo Deo frui numquam poterant, Adoptio nimirum in Filios Dei; ſicut enim Adoptionis huius iactura primo in parente facta fuerat; ita numquam reſtitutam fuiſſe niſi a Chriſto ipſo, evidenter traditum eſt ab Apoſtolo Paulo; quamvis antea *dedit poteſtatem filios Dei fieri credentibus in eum*.

XV. Fatendum eſt igitur, ſi Catholici eſſe volumus *Ieſum Praecurſorem pro nobis introiiſſe interiora velaminis*: h. e. primum omnium hominum perveniſſe ad contemplationem Divini Vultus, omnibuſque Iuſtis *initiaſſe viam novam*, *& viventem in introitum Sanctorum*.

XVI. Neque enim, ſi quis hiſce doctrinis repugnare velit, praeſidii quidpiam reperire poterit in Apoſtoli verbis (*Heb.* 2.10.) *decebat enim eum per quem omnia*, *& propter quem omnia*, *qui multos filios in gloriam adduxerat*, *Auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare*.

XVII. Nihilque aliud in reliquis Novi Teſtamenti Libris reperire poterit, quod Pelagianae ſententiae adeptionis Regni Coelorum ante Chriſtum revera faveat.

XVIII. Multoque minus ex Veteris Teſtamenti Bibliis aſſerre quid poterit, unde intelligere oporteat, Iuſtos homines ante Chriſtum Dei facie fruitos eſſe.

XIX. Iure itaque Eccleſia Catholica, quae in Fidelium Catecheſi falli non poteſt, in Catechiſmo Concilii Tridentini propoſuit omnibus Fidelibus credendum V. Symboli Articulum, juxta eum ſenſum, quem ibi explicavit [*num.* 3.5.*&* 6.]

XX. Neque demonſtrare quis unquam valebit, doctrina hac admiſſa, pugnantia quoque admitti oportere,

XXI. Sine Orthodoxae igitur Fidei iactura huiuſmodi ſenſus, & explicatio a nullo reſpui poteſt.

XXII. Aſſeri itaque catholice non poteſt in Explicatione illa

Ca-

Catechiſmi Romani *non inveniri characteres venerandae traditionis, quae a conſtantia, & antiquitate praecipue dignoſcitur.*

XXIII. Siquidem Eccleſia Chriſti a primis uſque temporibus, ſuis in precibus agnoſcit *Paſchale Sacramentum in Reconciliationis humanae foedere* collatum eſse, aliaque huiuſmodi innumera profitetur, quae evidenter oſtendunt, perpetuam Eccleſiae fidem fuiſse, Iuſtorum, qui ante Chriſtum fuerunt, animas ad Chriſti uſque deſcenſum ad Inferos toleraſse poenam orbitatis Divini Vultus.

XXIV. Neque conſtans haec Eccleſiae mens in aliam tranſformari poteſt quibuſdam eiuſdem Liturgiis, quibus aliqui caliginem antedictae doctrinae offundere conati ſunt.

XXV. Cum vero & ex Innocentii III. definitione, cuius reliquias habemus *cap. Maiores* conſtet, ad fruitionem Dei ante effuſionem Sanguinis Chriſti nullum hominum pervenire potuiſse; idcirco apparet fruitionis eiuſdem dilationem ad Chriſti uſque mortem, non Scholaſticorum placitis contineri, ſed Fidei definitionibus innixam eſse.

XXVI. Ne quis porro aut Auguſtinum contra ſeipſum aliquando ſcripſiſse, aut me perplexa eius verba ſilentio praeteriiſse dicere valeat, addo, Auguſtini mentem, aut Epiſtolis 164. al. 99. ad Evodium; & 186. al. 57. ad Dardanum, aut Libro XII. de Geneſi ad Litteram, nunquam fuiſse, Iuſtos homines ante Chriſtum ad aeternam Dei fruitionem perveniſse.

XXVII. Neque id ſpectavit Auguſtinus, aut in ſuis Tractatibus in Ioannis Evangelium;

XXVIII. Aut in Enarrationibus in Pſalmos;

XXIX. Aut in Sermonibus de Sanctis Machabaeis, & Innocentibus, deque Lazaro mendico.

XXX. Multoque minus in Libris contra Manichaeos, & Pelagianos ſcriptis,